UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Henrici Canisi[i] Noviomagi, Belgæ, Jn Academia Ingolstadiensi SS. Canonum Profess. Ordinarii & Primarii, Opera Quæ De Ivre Canonico Reliqvit

Canisius, Heinrich

Coloniae Agrippinae, 1662

Henrici Canisi, Noviomagi J. C. Prælectiones Adademicæ In Lib. Quartum Decrealium[!].

urn:nbn:de:hbz:466:1-62169

Visual Library

HERICI CANISI,
NOVIOMAGI J.C.
PRÆLECTIONES ACADEMICÆ
IN LIB. QUARTUM DECREALIUM.

PRÆFATIO.

SUMMARIA.

1. *Matrimonium qualis sit contractus, spiritualis an civilis.*
2. *Est fori Ecclesiastici.*
3. *Leges civiles de matrimonio disponentes nullius sunt valoris.*
4. *Matrimonium an & apud quos sit Sacramentum.*
5. *Princeps secularis quatenus de matrimonio disponere possit.*

TOtus hic liber quartus circa sponsalia, matrimonia, & quæ iis sunt affinia, versatur. Quæ materia ut amplissima, & usu hominum frequentissima, ita pluribus quoque difficultatibus est exposita, ut videre est ex tot Doctorum virorum in eam Commentariis, & ferè omnibus Tribunalibus Ecclesiasticis, quæ hujusmodi controversiis passim plena sunt.

1 Ad quorum faciliorem explicationem præmittendum est, matrimonium inter Christianos initum, non tam esse contractum civilem, quàm spiritualem, quia novæ legis Sacramentum à Christo institutum. *Conc. Florent. in institut. Armenior. sub Eugenio IV. & Conc. Trid. Sess. 7, can. 1. & D. Paulus ad Ephes. 5, cap. in verb Sacramentum hoc magnum,*
2 &c. † ac proinde ejus cognitionem solum spectare ad judicem Ecclesiasticum, uti fit & in aliis rebus spiritualibus sive Ecclesiasticis, *c 2, sup. De judiciis, & Conc. Trid. Sess. 24, can. ult.* ubi & anathema illis dicitur, qui negant causas matrimoniales pertinere ad judices Ecclesiasticos; verum etiam omnes ejus causas ex præscripto sacrorum Canonum decidi oportere, *per text in c. fin inf. De secund. nupt. & ibi* Hostiens. *num 3, in fine, in c. Ecclesia S. Mariæ, & ibi communiter Dd. sup. De constitut. teste* Andr. Gail. *lib. 2, Obser 141, num. 5, c. Accedentib. 12 inf. De excessibus Prælat. c. 1, inf. De consang. & affinit. c. Lator 5, c. Causam quæ 27, inf. Qui filii sint legit.* Felin *ad Rubr. De sponsal. in 6,* Baldus *in l. Paulus num. 4, D. De statu hom.* Alciat. *in l. Privilegia num 6, C. De SS. Eccles. Legista in l. Titia 39, D. Soluto matrim. Addit quæ latiùs dicam in d. c. 1, De consang. & affinit.*

Ex quo certè & illud sequitur, leges civiles de matrimonio contrahendo, vel distrahendo disponentes nullius esse momenti apud Christianos; quales sunt, exempli gratiâ, quæ interdicunt matrimonium inter pupillam & ejus tutorem, sive curatorem, filiosque eorumdem, *l. 4, l. 6, & 7, C. De interdicto matrim. inter pupill. & tut. & l. Libertum 64, cum l. seq. D. De ritu nupt.* item inter raptorem & raptam, *l. unica C. De raptu virg.* & quæ irritant matrimonium à filiofamilias absque consensu parentum contractum, *l. 1, & l. Generali 34, De ritu nupt.* de quo latius infrà. Item quæ permittunt matrimonium inter duorum fratrum & sororum filios, & filias, *l. 3, D. jam d. tit. 8. Duorum Instit. De nupt.* & similes leges; quæ non aliâ ratione à Dd. nostris explodunturquàm quòd matrimonii dispositio, & cognitio ad solum Ecclesiasticum legislatorem & judicium pertineat. Idque adeò, licet hujusmodi leges expressè sive nominatim non sint improbatæ à iure Canonico, ut in exemplo iam allato de pupillo, & eius tutore, seu curatore; cuius nulla, quantum hactenus didici, expressa mentio fit in SS. Canonibus. Siquidem satis est, matrimonium, utpotè rem spiritualem & Ecclesiasticam, non subiectam esse iurisdictioni Principis sæcularis, ac consequenter leges ab eo latas in favorem vel in odium matrimonii esse ipso iure nullas, tamquam supra iurisdictionem suam latas, *l. fin. D. De jurisd. omn. jud.* Quod vel ex ipso Justiniano confirmare licet, dum asserit, *Nov. 6, Quomodo oport. Episc. in pr.* ea, quæ divina sunt, à Deo sacerdotio esse concessa;

sa; quæ humana, Imperio. Cùm igitur matrimonium inter res divinas non humanas recenseatur, suæ jurisdictioni tacitè fatetur Justinianus esse exemptum; quamvis ipse contrarium vel per imprudentiam, vel quia sic tunc mores temporum suorum adhuc ferebant, tum in Codice suo, tum in Novellis & alibi statuerit.

4 Loquimur verò, ut antè dictum est, de matrimonio inter Christianos contracto, apud quos solos matrimonium est Sacramentum. Unde secus est in matrimonio Judæorum & Ethnicorũ; quorum illi secundùm legem Moysis, hi verò juxta præscriptum legis suæ, rectè contrahunt matrimonium; cùm hi sacris Canonibus minimè illigati sint, quemadmodum apertè tradit summus Pont. *in c. Gaudemus* 8, *inf. De divort.* ex sententia D. Pauli, 1, *ad Corinth* 5, dum inquit: *Quid enim ad nos quæ foris sunt judicare?* Et confirmat text. *in c. De infidelib.* 4, *inf. De consang. & affin.* Unde pagani etiam in secundo cognationis gradu licitè matrimonium contrahunt ex concessione juris civilis, § *duorum Instit. De nuptiis*, nihil impedientibus sacris Canonibus, quos aliter statuere videbitur *infrà tit. De consang. & affin.* quia, ut dictum est, Judæi & Ethnici foris sunt, id est, omninò extra Ecclesiam Christi, propter baptismum nondum susceptum, qui reliquorum Sacramentorum basis est & janua, *c.* 2, *De cognat. spirituali in* 6, *& can. Cum itaque* 112, *in fine De consecrat. dist.* 4.

Neque obstat text. *in d. c. Gaudemus inf. De divort.* quo expressè dicitur, Sacramentum conjugii inter fideles & infideles existere: quia id exaudiendum est de ipso contractu matrimonii per se spectato, qui æquè celebratur tam ab infidelibus, quàm fidelibus, non verò ut matrimonium habet rationem Sacramenti, quod non est apud infideles. Augustin. *lib. De fide & operib. c.* 7, *& De bono conjugii c.* 24.

Illud extra controversiam est, posse Principem § sæcularem rei spirituali, vel Ecclesiasticæ, ad coërcendum certum abusum, adiicere certum edictum pœnale, veluti circa violationem matrimonii, jurisjurandi, Catholicæ fidei, & similium, ad continendam scilicet & conservandam inter subditos suos civilem societatem, *l. Quamvis* 20, *C. Ad L. Iul. de adult. l. Si quis major C. De transact. Auth. Gazaros C. De hæret.* non verò ut de natura rei spiritualis cognoscat, *c.* 2, *& c. Novit* 13, *circa fin. sup. De judic. Vide* Covarr. *in IV. Decretal in* 2, *p. c.* 6, *num.* 17, *& seq.*

IN TIT. I. DE SPONSALIBVS, ET MATRIMONIIS.

SUMMARIA.

1. *Sponsalia unde dicta & quomodo fiant.*
2. *Sponsalia quid?*
3. *Ea quoque inter absentes & per alios contrahi.*
4. *Consensu etiam tacitè interveniente.*
5. *Quibus verbis contrahi solent.*
6. *An solo nutu contrahi possint.*
7. *Sponsalia clandestina an prohibita?*
8. *Sponsalium & matrimonii discrimen.*
9. *Sponsalia vel sunt de præsenti, vel de futuro.*
10. *Sponsalium nomine quæ præterea veniant.*
11. *Adulterium an committatur cum sponsa?*
12. *Matrimonium cur à matre dictum.*
13. *Et patrimonium à patre.*
14. *Matrimonium, Nuptiæ, Conjugium synonyma.*
15. *Cur nuptiæ certis temporibus prohibitæ.*
16. *Matrimonium quid?*
17. *Vxores plures simul haberi non posse.*
18. *Matrimonii definitio explicata,*
19. *Matrimonio nondum consummato an locum habeat statutum de dote lucranda?*

SPonsalia dicta sunt à Spondendo, quòd moris 1
fuerit veteribus stipulari, & spondere sibi uxores futuras: unde & sponsi & sponsæ appellatio nata est, *l.* 1, *& l.* 3, *D. De sponsalib.* Quo autem ritu id olim fieret, tradit Barnabas Brissonius *lib. sing. De ritu nuptiar. in pr.* quod hic non attinet repetere, cùm hodie etiam nudo consensu, nullâ adhibitâ solemnitate rectè contrahantur sponsalia, *c. unico De desponsat. impub. lib.* 6, *& l.* 4, *D. De sponsalibus.*

Unde Sponsalia his verbis describuntur, quòd 2
sint futurarum nuptiarum, id est futuri matrimonii promissio, *can. Nostrates* xxx *q.* 5, vel, ut inquit Florentinus Jurisc. *in l.* 1, *D. h. t.* repromissio; & non in eleganter, quasi hæc repromissio denotet reciprocam, sive mutuam promissionem, quæ hinc inde intercedit inter sponsum & sponsam. Promissio autem & stipulationem & nudam

nudam promissionem sive pactum nudum continet, *l. Sciendum* 19, *§ promissum & ibi* Accurs. D. *De edil. edicto.* Adeò ut quocumque modo utrimque in futurum matrimonium consensum est, sive inter præsentes, sive absentes, videlicet per epistolam, vel per nuntium, vel per ratihabitionem subsequentem, sponsalia legitimè contracta censeantur, *d. l.* 4, *cum l. seq. & l. fin D h. t.*

3

4 Imò nonnumquam hic consensus tacitè intervenire præsumitur, veluti, si pater nomine filii, vel filiæ præsentis & non contradicentis sponsalia contrahat: nam videtur filius vel filia hac taciturnitate suâ factum patris comprobare, & consentire in sponsalia, *d. c. unico §. fin. De despons. impub. lib.* 6. *l. In sponsalib.* 7, *& l. Sed quæ* 10, *D. De sponsalib.* Et quamvis Accurs. *in l. Lucius* 39, *D. Soluto matr.* id quidem admittat in filia, non autem in filio, quòd hic non præsumatur tacitè consentire patri, tamen idem juris esse in utroque evincit Bonifaciana constitutio *in d. cap. unico § fin.* cujus hæc verba sunt; *Porrò ex sponsalibus, quæ parentes pro filiis puberibus vel impuberibus plerumque contrahunt, ipsi filii, si expressè consenserint, vel taciè, ut si præsentes fuerint, non contradixerint, obligantur, & ex eis oritur justitia publicæ honestatis.* Ita Bonifacius VIII. *d. loco*; ubi præterea per *parentes* intellige etiam patrem solum, vel matrem solam, cùm uterque parentis nomine contineatur, *l. Appellatione D. De verb. signif.*

Hunc autem consensum tacitum ut in filio vel filia præsumamus, facit pietas & observantia liberorum erga parentes, ob quam creduntur consentire parentibus. Unde dissimilis ratio est in fratribus, aliisque cognatis sponsalia alieno nomine contrahentibus; in his enim cùm cesset hæc pietas & observantia: cessat quoque præsumptio taciti consensus: quemadmodum in fratribus rectè annotarunt Glos. Innoc. & Panormit. Idem in tutore probat textus *in l. Si puella* 6, *& ibi* Bald. D. *De sponsal. vide latiùs* Philipp. Franc. *in d. c. unic. § fin.* Quæ certè minimè negligenda sunt, propter publicæ honestatis justitiam, quæ aliàs ex sponsalibus contractis oritur, *de qua in c.* 3, *ex hoc tit. nostro.*

5 Sponsalia his vel similibus verbis contrahuntur: Ego te accipiam in meam; & ego te in meum,
6 *c. penult. vers. verum inf. h. tit.* † Vel etiam sine ullis verbis, id est, solo nutu, vel aliis indiciis, cùm & his modis consensus rectè exprimatur, *cap. Cùm apud sedem* 21, *eod. l. Nutu* 21, *D. De legat.* 3, Etenim in sponsalibus contrahendis, cùm solus consensus sufficiat, nihil interest consensus quoquo modo exprimatur, uti fit & in aliis contractibus, qui consensu ineuntur, *l.* 2, *D. De act. & oblig. & tit. Instit. De obligat. ex consensu.* Et hinc sponsalia nullam contestationem, nullam scripturam, nullam Parochi, aut alterius Sacerdotis præsentiam, aut aliam solemnitatem necessariò requirunt; & si interdum adhibeatur Parochus, aut ejus loco alius Sacerdos, id fit honestatis causa, non necessitatis. Imò satis est in sponsalibus consensum contrahentium intervenisse, etiamsi is clam interpositus sit, cùm & privatus consensus, consensus sit, *l. Ab Anastasia & ibi* Bald. *C. Mandati, & l. Non minorum C. De transact.*

Et licet in matrimonio contrahendo hodie a-
7 lio jure utamur, ex dispositione Concilii Trident. quâ disertè matrimonia clandestina improbantur & irritantur, ut dicetur infra tit. *De clandestina despons.* id tamen nullo modo producendum est ad sponsalia. Cum in iis nihil dicto Concilio Trid. immutatum legamus. Quod igitur immutatum non est, cur stare prohibetur? ut loquamur cum Justiniano *Imp. in l. Sancimus* 27, *C. De testam.* Nec impedit textus *in l. Oratio* 16, *D. De sponsalib.* Oratio Imperatorum Antonini, & Commodi, inquit textus, quæ quasdam nuptias in persona senatorum inhibuit, de sponsalibus nihil locuta est; rectè tamen dicitur, etiam sponsalia in his casibus ipso jure nullius esse momenti. Et quod rursus ait text. *in l. Si quis* 60, *§. quamvis D. De ritu nupt.* Quamvis verbis nuptiarum cautum est, ne uxorem tutor pupillam suam ducat, tamen intelligendum est, ne desponderi quidem posse. Unde pronuntiatum hoc rectè erui videtur: Inter quos matrimonium prohibitum est, inter eosdem & sponsalia fore prohibita, & consequenter eo ipso, quòd Conc. Trid. irritaverit matrimonium clandestinum, similiter etiam irritasse clandestina sponsalia. Non, inquam, hæc impediunt, quia textus in *d. l. Oratio & in d. § quamvis*, exaudiendi sunt de iis, qui perpetuo impedimento detinentur; ita quòd inter eos nullâ ratione possit conciliari matrimonium. Nam in his militat prædicta regula. At hoc nostro casu nulla inter eos perpetui matrimonii prohibitio est, sed quousque legitimè, id est, juxta formam Conc. Trident inter se matrimonium contraxerint, *arg. l. Si quis officium* 38, *D. De ritu nupt.* quâ administrator provinciæ, licet in ea uxorem ducere prohibeatur, non tamen sic etiam contrahere sponsalia. Navar. *cons.* 4. *de raptorib.* Sanchez *tomo* 1, *de matrim. disp.* 12.

Et certè

8 Et certè longè alia est ratio in matrimonio clandestino, quàm in sponsalibus. Siquidem clandestinum matrimonium ideo interdicitur per Conc. Trident. propter incommoda, quæ inde exoriri solent, præsertim in illis, qui in statu damnationis permanentes, dum scilicet, priore uxore, cum qua clam contraxerant, relictâ, cum alia palam contrahunt, & cum ea in perpetuo adulterio vivunt, *Conc. Trid. Sess. 24. cap. 1, de reformat. matrim.* Quod non est in sponsalibus; cùm hæc sive palam, sive clam contracta sint, per subsequens cum alia matrimonium ipso jure dissolvantur, *c. Sicut 22, & c. ei inter 31, hoc tit.*

9 Agimus verò hic de sponsalibus propriè dictis, quatenus designant promissionem futurarum nuptiarum; non autem de sponsalibus impropriè dictis, quæ nihil aliud sunt, quàm ipsum matrimonium, contractum quidem, sed nondum utriusque concubitu consummatum, *ut in can. Qui desponsatam XXVII. qu. 2, in cap. penult. & ult. inf. hoc tit. in cap. 2, inf. De sponsaduar. in l. 1, C. Si nuptiæ ex rescripto pet.* Prius genus Doctores nostri vocant sponsalia de futuro, subaudi matrimonio contrahendo; posterius verò sponsalia de præsenti, id est præsenti consensu matrimoniali contracta: quæ licet verum matrimonium sint, tamen ideo sponsalium nomen adhuc retinent, quòd ea uxor cum affectu non intelligatur, quæ in viri domum nondum traducta, & cognita est, *d. can. Qui desponsatam in verb. non qua jam uxor, can. Non est dubium, Can. Cum initiatur, & can. Coniuges XXVII. qu. 2.* In dubio verò ubi de sponsalibus mentio fit, intelliguntur sponsalia de futuro, eo quòd in obscuro à proprietate verborum non recedatur, *l. Non aliter 67, D. De legatis 3.* Dico, in dubio; cæterùm si aliter constat de mente disponentium, vel ea cessante ex consuetudine loci, tunc magis est, ut ea proprietati verborum præferantur, *d. l. Non aliter, l. Semper in stipulationib. D. De R. I. & c. Intelligentia, 6, inf. De verb. signif.* Adde *Extravag. Pii V.* super impedimẽto publicæ honestatis, editam anno Domini 1564. ubi inquit, matrimonium verbis de præsenti conceptum non nisi improprio sponsalium nomine contineri.

10 Interdum quoque sponsalium nomine veniunt arrhæ à sponso sponsæ datæ, ut sunt annulus, torques, monilia, & similia, *d. l. 1, C. Si nupt. ex rescr. pet.* sed hoc perrarius. Cicero quoque *epist. 6. lib. 2, ad Q. Frat.* sponsalia vocat convivium sponsalitium, quod scilicet sponsalium gratiâ exhibetur; his enim verbis utitur: *Sponsalia Crassipedi præbui; huic convivio puer optimus Quintus tuus meusque, quòd perleviter commotus fuerat, defuit.*

11 Ex his itaque constat, sponsam propriè dictam apertè distingui ab uxore, *ut & in l. Si quis officium 38, D. ritu nupt. & in l. Solet 10, D. De his qui not. infam.* & subsequenter cum sponsa adulterium non committi; cùm adulterium propriè in nuptam cadat, *l. inter 6, § item lex Iulia D. Ad L. Iul. de adult. in l. Inter stuprum 101, & l. Fugitivus 225, D. De verb. signif.* Cujus tamen contrarium existimarunt Glossa *in c. Quemadmodum in verb. non admittere sponsam sup. De jurejur.* & Panorm. *in c. Discretionem num. 4, sup. De eo qui cogn. consang. uxoris*, & Franc. Sarmient. *Selectar. Interpret. lib. 1. c. 11.* moti per textum *in l. Si uxor 13, § Divus D. Ad leg. Iul. de adult.* ubi his verbis inquit Jurisconsultus: Divus Severus & Antoninus rescripserunt, etiam in sponsa hoc idem, scil. adulterium, vindicandum; quia nec matrimonium qualecumque nec spem matrimonii violare permittitur. Ergo uterque tam sponsa quàm qui eam violavit, adulterii crimine obstringitur: ita enim *ex d. § Divus*, colligit Panorm. *jam d. loco.* Verùm hanc sententiam refellit Did. Covarr. *in Epit. lib. 4, Decretal. cap. 1, num. 12, cum seq.* eâ potissimùm ratione, quæ jam allata est, quòd nimirum adulterium solùm cum nupta committatur; non igitur cum sponsa, ac proinde putat ipse *in d. §. Divus*, hoc crimen quidem in sponsa per sponsum vindicari posse, non tamen ut adulterium, sed ut est injuria atrox sponso illata, propter spem matrimonii, *per text. in l. Item Labeonem 15, § sponsam quoque D. De injur.* Idem sentit & Alexander Carerius, *in tract. de sponsalib. & matrim. cap. 3, circa fin.* Quæ tamen ratio mihi non videtur convenire textui, *in d. §. Divus.* Nam cùm ibidem Jurisc. Ulpianus in § præcedenti respondisset, maritum posse vindicare adulterium uxoris etiam vulgaris, statim subiicit *in d. §. Divus*, hoc idem vindicandum esse in sponsa. Quæ verba, *hoc idem*, haud dubiè repetunt adulterium. Quare verius videtur, *d. §. Divus* exaudiendum esse de adulterio, non quidem propriè dicto, quod in nuptam tantummodò admittitur; sed prout adulterii nomine etiam stuprum continetur, siquidem lex Julia de adulteriis lata promiscuè utitur verbis adulterii & stupri, *per text. in d. l. Inter 6, § item Lex Iulia & d. l. Inter stuprum.* Atque sic accipiendo adulterium pro stupro, *in d. §. Divus*, res plana & extra omnem controversiam est, quamvis & sententia Covarr. & Carerii in se spectata defendi possit. Quæ hìc annotare libuit,

propter diversitatem pœnarum, quibus aliter coërcentur adulteri, aliter stupratores, *de quibus in § item Lex Iulia de adulteriis, Instit. De publ. jud. & in l. 1, § fin. D. De extraordin. criminibus.*

12 Jam quod ad alteram inscriptionis Tit. nostri partem attinet, de matrimoniis; Matrimonium à matre potiùs, quàm à patre denominationem accepisse ideo quidam & rectè existimant, quòd matris officium potissimùm in matrimonio versetur, puta in concipienda, procreanda, & educanda prole, cujus gratâ ut plurimùm matrimonium contrahitur, *c. 2, inf. De convers. infidel.* quæ non æquè pater exequitur. Ut hinc verbum *Matrimonium* conflatum videatur ex his duabus di-
13 ctionibus, matre, & munio, id est officio; † sicut è diverso *Patrimonium* à patre rectiùs dicitur, quàm à matre, quod illius præsertim munus sit bona quærere & parare, & parata conservare, *l. Quintus 7. D. De donat. inter vir. & uxorem.* Quamvis & in iis bona reperiantur, quæ etiam à matre profecta sunt, quæ nihilominus communi nomine patrimonii censentur, *l. Cum pupillus 9, D. Rem pupilli salvam fore.*

14 Neque prætereundum est, hæc quatuor idem significare, Matrimonium, Nuptias, Conjugium, & Connubium. Matrimonium propter matrem, ut jam dictum est. Conjugium, quod uno quasi jugo contrahentes constringantur. *d. can. Cum initiatum* XXVII. *q. 2.* Nuptiæ, quòd olim puellæ in matrimonium ductæ pudoris gratiâ obnubebantur, *can. Nec illud* XXX *q. 5.* Hinc & connubium dicitur. Quo fit, ut nuptiarum definitio à Justiniano prodita *tit. Instit. De patria potest.* eadem attribuatur matrimonio à S. Pontifice *in c. Illud 11, sup. De præsumpt.* nisi quòd nuptiarum vocabulum nonnumquam usurpemus pro illa celebritate & hilaritate; quæ matrimonii celebrandi causa adhiberi solet, cum deductione in domum
15 mariti. † Quâ significatione loquuntur SS. Canones, cum nuptias certis temporibus prohibent, *in c. Capellanus 4, sup. De feriis, in can. Non oportet cùm seq.* XXXIII. *q. 4. & Conc. Trid. Sess. 24, c. 10, de reformat. matrim.* Alioquin nuptiæ pro contractu matrimonii sumptæ, numquam interdictæ sunt, ne quidem quadragesimali tempore, *d. cap. Capellanus.*

16 Quòd verò attinet ad definitionem matrimonii, utroque jure hæc extat, quòd sit maris & fœminæ conjunctio, individuam vitæ consuetudinem retinens. Ita Alexander Pont. *in cap. Illud 11, sup. De præsumpt.* & Justinianus Instit. *De patria potest.* Nisi quòd Justinian. pro verbo *retinens*, usurpet *continens*: sed unius syllabæ mutatio sententiam definitionis non mutat.

Cæterùm quod ait definitio, *Maris & fœminæ* 17
conjunctio, ostendit matrimonium non nisi inter duos posse consistere, saltem hodie apud Christianos, *cap. Gaudemus 8, § nec ulli umquam inf. De divortiis, cap. fin. inf. De sponsa duorum, & Conc. Trid. Sess. 24, can. 2*, quo & disertè anathema dicitur illis, qui asserunt, licere Christianis plures simul habere uxores, nec ullâ divinâ lege hoc prohiberi: dum & Jure civili de binis uxoribus non habendis aut retinendis ex eo satis animadvertitur, quòd ex edicto Prætoris ejusmodi viri infamiâ notentur, *l. 1, in fine D. De his qui notant. infam. l. 2, C. De incestis & inutilib. nuptiis & l. Eum qui 18, C. Ad L. Iul. majestatis.* Nec movet, quòd ex historia Socratis de Valentiniano Imperatore vulgò circumfertur, quòd is, reverâ priore conjuge suâ vivente, Justinam alteram uxorem superduxerit, atque ita, ut hanc intemperantiam suam velamento quodam contegeret, legem promulgasse, quâ liceret unicuique duas simul uxores habere. Id enim tamquam inane commentum pluribus rationibus refutat Baronius *in Annalib. Eccles. Anno Christi 370, num. 124, cum 36, & seq.* Sed nec impedit, quod tempore veteris Testamenti legantur Patriarchæ & alii viri justi plures uxores simul habuisse: quia id planè extraordinarium fuit, utpote divinâ revelatione iis concessum, ut interpretatur Innocentius III. *in d. cap. Gaudemus De divort.* Quis autem negaverit auctorem matrimonii, qui est Deus, gratiam facere posse alicui, duas vel plures uxores simul ducendi, vel retinendi? Igitur cùm dispensationis jure hoc factum sit, non est ad alios transferendum, *l. Quod vero 14, D. De legib. c. Quod ob gratiam De reg. Iuris in 6, & cap. Sanè 11, inf. De privilegiis.*

Quod verò additur in hac definitione, *individu-* 18
am vitæ consuetudinem retinens, sive continens, non eam significationem habet, quòd hæc consuetudo re ipsa individua & perpetua sit, sed quoad mentem contrahentium matrimonium. Ita enim contrahentes animo comparati esse debent, ut velint hanc vitæ consuetudinem perpetuam & indissolubilem esse; nec enim matrimonium ad tempus contrahi potest, *cap. fin. in verbis, donec invenium, inf. De conditionib. appositis.* Si autem ex postfacto justa de causa hæc consuetudo interrumpatur, vel distrahatur, quemadmodum videre est de divortiis, id fit per accidens, præter men-

mentem contrahentium. Atque hic verus sensus definitionis matrimonii est. Cui tamen alii adiiciunt has dictiones, *Legitima* scilicet *conjunctio*, & *inter habiles personas*; sed temerè, cùm hæc tacitè in definitione contineantur.

19 Cùm ergò explorati juris sit, matrimonium solo consensu miri, consequens est, & in ea uxore adulterium committi, quæ nondum viro suo cognita est, *per tex in c. Discretionem inf. De eo qui cognovit consang.* Similiter & inter tales donationem interdictam esse, *l. penult. C. De donat. inter virum & uxorem.* Item legatum, si Titia nuplerit, confestim deberi, etiamsi uxor nondum in cubiculum mariti traducta sit, *l. Cùm fuerit* 1, *D. De conditionib. & demonst.* Et quod majoris momenti est, matrimonium solo consensu contractum non dirimi per subsequens matrimonium cum alio, licet utriusque concubitu sit consummatum, *cap.* 3, *& cap. fin inf. De sponsa duar.*

Et hinc etiam facilis responsio est ad quæstionem à multis agitatam, An statutum disponens de lucranda dote, si uxor prior in matrimonio discesserit, habeat quoque locum in muliere nondum cognita? Et habere locum constat ex jam dictis juribus, *d. l. Cum fuerit, & c. Ex publico* 7, *inf. De conversione conjugat.* Sed difficultatem movet ratio, quæ in contrarium adfertur; quòd scilicet dos pro oneribus matrimonii marito sustinendis instituatur, *l. Pro onerib. C. De jure dotium.* At verò nondum traductâ & cognitâ uxore, nulla sunt onera. Ergò cessante ratione statuti, cessabit quoque ejus effectus, *cap. Cum cessante* 6, *sup. De appellat. & l. Adigere* 6, §. *quamvis D. De jure patronatus.* Verùm huic rectè occurritur, quòd statuti ratio in eo potiùs fundetur, ut spe lucri invitentur viri ad contrahendum matrimonium, eoque citiùs mulieres inveniant virum seu maritum, *l. Qui liberos* 19, *D. De ritu nuptiar.* Quod autem nondum cognita fuerit uxor, id per accidens fit, quod minimè attendi debet, sed inspicienda ejus origo, *argum. l. Si procuratorem* 8, *in pr. D. Mandati*; nisi tamen aliter de mente statuentium hac in re constet, quæ utrique præferenda est, *l. In ambiguis D. De reg. jur.* quæ inde colligitur, si & liberorum mentio in statuto facta sit, puta, si uxor sine liberis decesserit. Nam hac specie propiùs est, de uxore cognita statuentes sensisse, & consequenter cessare lucrum dotis. Fusiùs hanc quæstionem persequitur Andr. Gail. *lib.* 2, *obser.* 80. Quæ similiter transferri possunt ad statuta locorum, quibus præmortui conjugis ususfructus bonorum superstiti conjugi applicatur. Item & ad pacta dotalia, quibus quandoque convenitur inter sponsum & sponsam, ut, altero decedente sine liberis, alter, qui superest, dotem vel donationem propter nuptias lucretur.

In Cap. primùm.

SUMMARIA.

1. *Concilia nationalia in Decretales auctoritate summi Pont. relata omnes obligant.*
2. *Matrimonium solo consensu contrahitur.*
3. *Nec benedictio Sacerdotis necessariò requiritur.*
4. *Vt neque consensus parentum.*

HOc Cap. huc traductum est ex Concilio Triburiensi, quod celebratum est tempore Arnulphi Imp. seu potiùs Regis Romanorum Anno Domini 888. ut annotat Baronius in Annalib. Ecclesiasticis hoc eodem anno. Dictum est à Triburi loco Franciæ Orientalis, quæ hodie Franconia dicitur. Ex hac igitur Francia quidam in uxorem duxerat nobilem fæminam ex Saxonia oriundam; sed quia non servatâ forma statuti patriæ suæ eam sibi desponsaverat, scilicet de præsenti, divertit ab ea tamquam minus legitima uxore sua, & aliam sibi in uxorem adscivit. Re ad Concil. Triburiense relata, decretum ab eodem fuit, ut is veluti reus violatæ legis Evangelicæ, pœnitentiæ subjiciatur, & relicta secunda uxore ad priorem redeat.

Ubi in primis observandum est, quòd etsi hoc 2
Conc. Triburiense fuerit nationale, hoc est, nationis Germaniæ, utpote à XXVI. Episcopis Germaniæ celebratum, & subsequenter alias nationes non concernat, eo quòd jus dicenti extra territorium suum impunè non pareatur, *l. fin. D. De jurisdict. omnium Iud. & cap.* 2, *De constitut. lib.* 6, Cùm tamen hoc caput auctoritate summi Pontificis in has Decretales conjectum sit, omnes omninò Christianos eo obligari, juxta illud Justiniani: Omnia nostra facimus, quibus au-

ctoritatem nostram impertimus, *l.1, §. sed neque C. De veteri jure enuclean.* Quo usus est & Bonifacius VIII. *in cap. Si Apostolica 21, De præben lib.6* quod & in similibus Capitulis desumptis ex Conciliis particularibus, vel ex Patribus observandum, & retinendum est.

Sed redeundo ad textum nostrum. Fortè Francus ille sine dote, vel sine aliis solemnitatibus patriæ suæ, desponsaverat sibi mulierem Saxo-
2 nem, quam & idcirco repudiaverat. † Sed ipse non meminerat, matrimonium sine dote, & aliis similibus ceremoniis contrahi & constare posse, nudo scilicet consensu tantùm, *per text. in can. Sufficiat XXVII quæst.2, & in cap. Cùm locum 14, hoc t.* Quare rectè ex decreto dicti Conc. Triburiensis ad priorem uxorem revocatur. Nec obstat *text. in can. Aliter XXX. qu. 5.* quo & præter consensum contrahentium requiruntur, etiam consensus parentum, dotis constitutio, benedictio Sacerdotis, paranymphorum adhibitio, & alia ejusdem generis. Cujus textus verba hic adscribere placet: *Aliter legitimum non fit conjugium, nisi ab his, qui super ipsam fœminam dominationem habere videntur, & à quibus custoditur, uxor petatur, & ab parentibus, & propinquioribus sponsetur, & legibus dotetur, & suo tempore sacerdot aliter, ut mos est, cum precibus & immolationibus à Sacerdotibus consecretur, & à paranymphis, ut consuetudo docet, custodita, & sociata ab proximis congruo tempore petita legibus detur, & solemniter accipiatur, ut biduo vel triduo orationibus vacet, & castitatem custodiant. Ita peracta legitimè scitote esse connubia, aliter verò præsumpta non connubia, sed adulteria, vel contubernia, vel stupra, aut fornicationes potiùs, quàm legitima connubia esse non dubitate, nisi voluntas propria suffragaverit, & vota succurrerint legitima,* Hactenus textus.

Non inquam obstat, quia hæ solemnitates, non ad essentiam matrimonii pertinent (quæ tantummodò in duobus consistit videlicet in consensu utriusque contrahentium, tamquam materia, & in verbis, sive aliis signis consensum exprimentibus, tamquam forma sua, *c. Tuanos 26, & ibi latius inf. hoc tit*) sed potiùs spectant ad matrimonii probationem, ut si eas intercessisse constiterit, de matrimonio legitimè contracto dubitare nefas sit; sin omissæ fuerint, censeatur concubitus illicitus: idque in dubio. Quod vel indicant postrema verba ejusdem cap. *Nisi voluntas propria suffragaverit, &c.* Quibus significatur matrimonio nihil deesse, etiamsi solemnitates istæ non intervenerint, dummodò de voluntate contrahentium constet, videlicet per eorum confessionem. Hoc enim denotant verba: *Nisi voluntas propria suffragaverit,* & probat text. *in cap 2, inf. De clandest. desponsat.* aut per alia argumenta sive indicia, quæ in eodem cap. *Vota* dicuntur, tamquam desiderata indicia; vota enim & desideria idem significant, sicut liquet ex hac loquendi formula: *Hoc habeo in votis.* Horum votorum exemplum extat *in c. Illud 11, sup. De præsumpt.* Atque hanc interpretationem juvat text. *in can Nostrates ead quæst. 5,* ubi disertè dicitur, peccatum non esse, si omnes solemnitates in nuptiali fœdere non interveniant. Quo etiam sensu accipiendus est text. *in can Nullum ead. q. 5.*

Ut hinc graviter hallucinentur hîc posthumus Cujacianus, id est opus Cujacii post mortem ejus editum, & Melchior Canus de *de Locis Theologicis lib. 8, cap. 5,* dum in contrahendo matrimonio benedictionem Sacerdotis necessariò requirunt, quasi sine ea matrimonium constare non possit. Item Barthol. Chassanæus *in Catalogo gloriæ mundi, p. 12, considerat. 36, vers. quomodo autem, ubi latè prosequitur,* Joan. Corasius *lib. 1, Miscel. cap. 17,* & præcipuè adversarii religionis Catholicæ, † 4 dum existimant matrimonium absque consensu parentum contractum planè irritum esse, aut saltem à parentibus vel Magistratu infringi, & retractari posse. Quorum rationes partim *ex d. can. Aliter* sumuntur, partim ex Justiniano, partim ex præcepto Decalogi: *Honora patrem tuum, & matrem tuam.* Quoad *d. can. Aliter,* textus quidem id apertè insinuare videtur, sed non alio sensu, quàm quo antè dictum est. Ideo refutatione aliâ non est opus.

Quoad Justinianum videtur res majoris momenti. Is enim *sub tit. Instit. De nupt. circa pr.* ideo in nuptiis filiorum, parentum consensum adhibendum censet, quòd civilis & naturalis ratio id suadeat. At verò naturalia jura divinâ quadam providentiâ constituta, firma & immutabilia dicuntur, *in § penult. Instit. De jure nat. gen. & civili.*

Præceptum verò Decalogi consensum parentum exigere, ex eo patet, quòd pugnet cum honore parentum, si filii omisso parentum consensu matrimonium contrahant. Præter has adducunt alias rationes, sed cùm leviculæ sint, consultò eas omittimus.

Verùm, his nihil impedientibus, de jure receptior & verior sententia est, in matrimoniis liberorum necessariò non requiri consensum parentum.

tum. Quod non tantùm apertis juris textibus comprobatur, sed & ratione, & exemplis Sacræ Scripturæ. Textus sunt *in c. penul. inf. De raptor in c. Pertuas 6, inf. De condit. appositis, in c. Veniens 13, h. tit.* Idem constat ex Concilio Tridentino *Sess. 24, c. 1, in pr. de reformat matrim. & ex declaratione Caroli V. in Comitiis Augustanis anno 1540, sub tit. De Sacram. matrimonii §. penult.* ubi apertè eorum sententiam improbat, qui asserunt matrimonium absque consensu parentum contractum, nullius momenti esse, vel dissolvi posse. Ratio verò est, quòd scilicet in matrimonio contrahendo sufficiat consensus contrahentium, *can. Sufficiat* XXVII. *quæst. 2*, ergò assensus parentum necessariò non exigitur. Equidem in spiritualibus nulla habetur ratio patriæ potestatis, *cap. fin. De Iudiciis in 6, & l. ult. C. De Episcopis & Clericis. Glossa in can. ult.* XXII *q. 2.* Quod vel ex eo magis elucescit, quòd nec in matrimonio habeatur ratio dominicæ potestatis, quin servi etiam contradicentibus & invitis dominis rectè contrahant matrimonium, *cap. 1, inf. De conjugio servor.*

Confirmatur & hæc sententia exemplis Sacræ Scripturæ. Nam Esau filius Isaac Patriarchæ legitur duas duxisse uxores, quòd ambæ offenderant, inquit text. *Genes. 26, cap.* animum Isaac & Rebeccæ parentum suorum: ac proinde invitis parentibus utramque accepit. Jacob frater Esau ex consilio quidem patris uxorem unam duxerat Rebeccam, sed præter hanc tres alias habuit, inscio omninò patre, ut testatur historia *Genes. 29, & 30, cap.* Nec tamen pater Isaac Patriarcha filii conjugium ideo improbavit.

Simile exemplum habemus in Tobia juniore, qui & patre ignorante uxorem duxit, *Tob. 7, cap.* Neque obstat locus Justin. Nam solùm asserit, id suadere rationem naturalem, non autem necessariò præcipere. Quod vel ex eo constat, quòd emancipatione, quæ juris civilis est, tollatur hæc ratio adhibendi consensus paterni, ita quòd emancipatus filius legitimè contrahat matrimonium, absque consensu parentum, *l. Filius 35, D. De ritu nupt.* Non igitur consensus parentum in matrimonio filii iure naturali requiritur. Simili locutionis forma utimur, cùm dicimus, naturali ratione hæreditatem paternam deberi liberis, *text. in l. fin. D. De bonis damnat.* aut saltem eius legitima, *Novell. 1, de hæred. & Falcid. circ. princ.* Cùm tamen utramque pluribus modis tolli constet, veluti exhæredatione, confiscatione, statuto loci, vel iurata pactione. Itaque hæc naturalis ratio ad speciem honestatis, non necessitatis referenda est. Nec valet argumentum, quod contrà movet Chassanæus, *loco suprà citato*, cùm inquit, Si de honestate tantùm exigatur consensus parentum, ergo lex, quæ parentum consensum excludit, non erit honesta, & consequenter non servanda: ad naturam enim legis requiritur, ut sit honesta, iusta, & possibilis, *can. Erit autem dist. 4*, Respondetur enim, id verum esse de lege præcipiente sive mandante, non verò de lege permittente. Nam interdum à legibus non tantùm permittuntur ea, quæ honesta non sunt, verùm etiam quæ apertam turpitudinem præ se ferunt, ut est fornicatio, *l. Apud adulterium C. Ad L. Iul. de adult.* violatio sponsalium, etiam iuratorum, *c. Requisivit hoc tit.* & similia, quæ ex causa lex permittit, sed non imperat. Idem est in matrimonio liberorum, in quo etsi honestum sit consensum parentum adhibere, inhonestum verò negligere; sacri tamen Canones id circò eum necessariò non requirunt, quòd is nihil pertineat ad substantiam matrimonii, quæ solo contrahentium assensu constat, *d. can. Sufficiat* XXVII *quæst. 2, cum similib.*

Jam quòd attinet ad præceptum Decalogi, *Honora patrem tuum, & matrem tuam*; illud non est producendum ad nuptias, quòd scilicet præcisè obliget liberos in contrahendis à se nuptiis, ad petendum parentum consensum. Alioquin enim sequeretur, etiam constante matrimonio eumdem honorem eos parentibus deferre oportere; quod est contra institutionem matrimonii, *Genes. 2, cap.* ubi Adam primus humani generis parens divini spiritus instinctu, his verbis locutus est: *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea* & post paulum: *Quamobrem relinquet homo patrem suum & matrem, & adhærebit uxori suæ.* Quod etiam confirmant exempla superius allata, de Esau, Jacob, & Tobia. Ut vel hinc Concilium Trident. rectè eos anathemate damnet, *Sess. 24, cap. 1. in princ. de reform. matrim.* qui affirmant matrimonia à filiis familias sine consensu parentum contracta irrita esse, & parentes ea rata, vel irrita facere posse.

Interim negari non potest, quin peccent liberi, si absque iusta causa, omisso parentum consensu, matrimonium contrahant. Justa verò causa hæc esse potest, si probabiliter credant parentes ratum habituros matrimonium suum, exemplo Tobiæ, & latius docet Bellarminus *de matrim. Sacram. c. 19, circa fin.* Cæterum si nulla causa subsit, an ob id liberi exhæredari possint, vel ipsis dos, sive donatio propter nuptias denegari à

parentibus, dicam commodiùs *ad cap.1, De desponsat pub.*

Cùm igitur solo utriusque contrahentium consensu matrimonium constet, etiam non adhibitis aliis solemnitatibus (salvis tamen iis, quæ ex Conc. Trident. adferam, *inf. sub tit. De clandestina desponsat.*) consequens erat, Francum illum, de quo in textu nostro, injustè deseruisse uxorem suam, cum qua antè contraxerat, multoque gravius hoc crimen suum auxisse, quòd & ad secundas nuptias illâ vivente transivit adversus legem Evangelicam, quæ extat apud Matth. 19, cap. *Quicumque* (inquit lex) *dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur.* Ex quo tamen (ut hoc obiter addam) non rectè infertur à contrario sensu, ergò ob fornicationem licet dimittere uxorem, & aliam ducere, quod sub tit. *De divort.* latiùs prosequar.

In Cap. 2. Præterea.

SUMMARIA.

1. *Sponsalia dissolvuntur mutuo consensu.*
2. *Licet juramento confirmata sint.*
3. *Sponsus tamen & sponsa priùs monendi & inducendi sunt, ut fidem datam servent.*
4. *Quando & quot modis aliquid à jure tolerari dicatur.*
5. *Fidei interpositio an æquivaleat juramento?*
6. *Iuramenti vis & effectus.*
7. *Iurare & fidem interponere in quo differant:*
8. *In quo æquiparentur.*
9. *Iuramentum & simplex loquela quatenus æquiparentur.*
10. *Differentia in foro exteriore.*
11. *Mos Principum & Nobilium Germaniæ.*

1 AGitur hoc Cap. de dissolutione sponsalium, quæ fit mutuo consensu sponsi & sponsæ, instar societatis inter duos contractæ. Ut enim societas consensu sociorum inita mutuo dissensu dissolvitur, *per text. in l Actione 66, § diximus D. Pro socio, & in §. manet Instit. De societ.* ita & sponsalia. Quo argumento utitur hic textus noster, & confirmat juris regula: Nihil tam naturale est, quàm eo genere quodque dissolvi, quo colligatum est, *l. Nihil tam naturale 35, D De R.I. & cap. Omnia eod. in 6,* Quæ tamen regula minimè transferenda est ad matrimonium, hoc enim licet mutuo consensu contrahatur, non tamen mutuo dissensu dissolvitur, eò quòd matrimonii nexus indissolubilis sit, *can. Puto & can. Præceptum XXXII, quæst. 5, & Conc. Trid. Sess 24, in doctrina de Sacram. matrim.* † In sponsalibus verò obtinet, juxta text-
2 tum nostrum, licet sponsalia jurejurando confirmata sint, Panorm. & Felin. *hic & communiter DD. teste* Covarr. *in 4, lib. Decret. c. 5, de sponsal. in pr.* & Navarr. *in Manuali cap. 22, num. 21,* ex hac generali regula, quâ dicimus, Juramentum in favorem alicujus præstitum posse ab eodem remitti, *per tex. in cap. 1, sup De jurejur.* & *ibi tradunt* Imola & Felin. Covarr. *in c. Quamvis in pr. 1, relect. § 3, num. 1, De pactis lib. 6,* D. Thom. *in 2, 2, quæst. 89, art. 9, ad secundum arg.* & *ibid.* Cajetan. & Navarr. *jam d. loco.* ubi & hanc rationem addit, quòd juramentum Deus eodem modo recipiat, quo in favorem partis præstitum est, ergò ab eadem parte remitti potest. Est enim cuilibet permissum favori suo renuntiare, *l. Quod favore 6, C. De legib. &c. Quod ob gratiam De R.I lib 6,* Eamdem rationem tradit Felin. *in d. c. 1, num. 2, sup De jurejur.* adducens in hanc rem text. *in c. 2, sup. De renuntiat. in c. Significavit 13, sup. De censib. & in l fin verb. nisi id patronus remit. Qui & à quib. manumis.*

Igitur redeundo ad textum nostrum, ex eo discimus, sponsalia voluntate sponsi & sponsæ dissolvi. † Neque nos movere debet idem textus, 3
dum vult prius illos monendos, & modis omnibus inducendos esse, ut præstitam fidem observent, & si non parverint, tunc patienter sustinendum esse, ut mutuo consensu se absolvant, quasi innuere videatur, id non tam jure sponsis permitti, quàm ex quasi dissimulatione sive conniventia; atque idcirco videtur hanc dissolutionem sponsalium in se iniquam esse, *per text in cap Cùm jam dudum 18, sup. De præben.* Cùm multa, inquit ibi text. per patientiam tolerentur, quæ si deducta fuerint in judicium, exigente justitiâ non debeant tolerari: quia Resp. duplici modo aliquid à jure patienter tolerari. † Uno modo, permitten- 4
do illud, quod per se quidem iniquum est, sed permittitur, ob vitandum majus malum, ut in exemplo *d. c. Cùm jam dudum,* de pluralitate beneficiorum, quam inquit S. Pontifex se dissimulare, non autem approbare vel dispensare. De quo videatur etiam *can fin. dist. 4 & c Si quod verius XXXIII*

quæst.

quæst. 2, quo sensu hodie in plerisque locis lupanaria permittuntur, ob vitandum adulterium, incestum, stuprum, aliaque libidinis mala; cùm ex duobus malis necessariò impendentibus, melius est, id quod minus est seligere, *can. Duo mala, & ibi Glos. dist.* 13, Altero verò modo aliquid a jure toleratur, permittendo illud impune & absque peccato; mallet tamen jus ob aliquam rationem alterum fieri, ut hoc textu nostro. Nam mavult summus Pontifex detestandæ inconstantiæ causâ in re tanti momenti matrimonium potiùs contrahi, quàm mutato animo à sponsalibus discedi: atque idcirco sponsos priùs monendos & inducendos esse vult, quàm ut à sponsalibus discedant. Atque hanc esse mentem summi Pontificis declarat argumentum ductum à contractu societatis, quem constat absque vitio dissolvi posse dissensu sociorum, *d. l. Aliter. & d. § manet.* Et hanc sententiam comprobant Tancredus, Hostiensis, Panorm. *hic &* Covarr. *de sponsalib. in* 1, *p. cap.* 5, § 1, *in princ.* ubi & eam communem asserit, rejectâ contrariâ Hugonis & Bernardi, *in glossa hic in verb. patientia tolerari.*

5 Neque hic prætereundum est, quòd d. textu Interpretes nostri perperam æquiparent fidei interpositionem cum juramento, ita quòd is, qui fide sua interposita promisit, perinde habeatur ac si jurejurando se adstrinxisset, sicut hic tradunt Hostien. Panorm. & Felin. *præter alios, quos recenset* Andr. Gail. *lib.* 2, *obser.* 59, *&* Joach. Mynf. *cent.* 1, *observ.* 17, ubi & communi calculo id receptum attestatur, *per textum in cap. Ad aures* 3. *sup. De his quæ vi metusve causa. in cap.* 1, *sup. De jurejur in cap.* , *De fidejuss. & in can. Iuramenti* XXII *quæst.* 5, Quod hic latius excutiendum est, propter rei momentum. Si enim interpositio fidei æquivalet juramento, certè eosdem effectus proferet, quos juramen-
6 tum. * At verò juramenti ea vis est, ut transgressorem ejus perjurum efficiat, & quandoque eum infamia notet, *cap. Querelam* 10 *sup. De jurejur. can. Infames* VI *quæst.* 1. *& l. Si quis major* 41, *C. De transact.* Item excludit minorem 25, annis à restitutione in integrum, *l.* 1, *& Auth. Sacramenta puberum C. Si adversus vendit. & l. penuli. circa fin. C. Si minor se major dix.* Item confirmat contractus alioquin jure civili invalidos, *cap. Debitores* 6, *cap. Cùm contingat* 18, *sup. De jurejur. & in cap. Quamvis* 2, *De pact. lib.* 6, ubi pro regula traditur, quòd toties juramentum servandum sit, quoties non vergit in æternæ salutis dispendium, nec redundat in alterius detrimentum. Hos igitur & alios similes effectus cùm producat juramentum, necesse est, producat etiam fidei interpositio, si hæc juramento æquiparetur.

Verùm hæc æquiparatio nequaquam jure de- 7
fendi potest, cum longè inter se diversa sint, jurare & fidem interponere. Jurat enim is, qui Deum in testem advocat, vel, ut explicatius Mart. Navarrus, qui affirmat, vel negat aliquid, adducendo expressè vel tacitè Deum in testem, tamquam infallibilem veritatem. Expressè, inquam, ut si quis Deum in testem adferat. Tacitè, si dicat *per Deum*, vel *per Evangelia*, vel *per Sanctos*, quatenus in eis resplendet divina veritas. Navar. *in Manuali cap.* 12, *num* 1, *ex D. Thoma aliorumque sententia.* At is, qui fide sua aliquid promittit vel confirmat, non adducit Deum in testem, sed interponit tantum humanam fidem suam. Quod & convincit communis formula interponendi fidei usitata apud Principes & Nobiles, videlicet *per fidem Principis* vel *Nobilis.* Qua & utuntur inferiores ordinis homines, dicentes, *Per fidem meam.* Secus, si aliter de mente loquentis constaret, ita quòd nomine fidei intelligeret fidem Christianam: nam tunc verè juraret, tamquam Deum ipsum, quem fide Christiana confitetur, in testem adducendo. Quod tamen in dubio non præsumitur; cum in dubio id, quod minimum est, sive quod minus nocet, sequi soleamus, *l. Semper in obscuris D. De R. I. Vide* Cajetan. *in* 2, 2. *D. Thomæ quæst.* 89, *ad* 6, *argum. &* Did. Covarr. *in c. Quamvis p.* 1, § 2, *num.* 3, *&* 4, *De pactis lib.* 6, quo loco hoc argumentum plenius persequitur.

Ex his igitur constat, falsam esse illorum sententiam, qui interpositam fidem juramento æquiparant. Quod & arguit text. *in c. Querelam* 10, *cum cap. seq. sup. De jurejur.* ubi Clericus propter perjurium ab Ecclesia removetur, non tamen propter non servatam fidem, ut *in cap. fin. inf. Ne Prælati vices suas, &* text. *in cap. Commissum* 16, *inf. eod.* ubi fides data & juramentum aperte distinguuntur.

Nec movent textus *in d. c. Ad aures*, cum simili- 8
bus, in contrarium allegati. Nam tametsi *in d. c. Ad aures* juramentum & interposita fides pari jure censeantur in eo, qui ad terrorem laicorum renuntiârit Ecclesiæ sive beneficio Ecclesiastico; id tamen non provenit ex natura fidei interpositæ, sed magis propter scandalum, quod ex violatione præstitæ fidei apud vulgus oritur, cum majus sit, fide sua interposita, quàm simpliciter renuntiare Ecclesiæ sive beneficio Ecclesiastico,

text.

text. in d. c. 2, De jurejur. Æquiparat quidem juramentum & fidei interpositionem, sed quoad argumentum, quod ibi tractatur. Sive enim quid utrimque mutuâ fide sive adjecto juramento promissum sit, pro non servante suam promissionem etiam alteri liberum est, ex parte sua promissionem deserere, juxta Juris regulam: Frustrà sibi fidem à se præstitam servare recusat, *c. Frustrà De R. I lib. 6*, Porrò in *c. 2, sup. De fidejuss.* religio fidei & juramentum conjunctim ponuntur, interjectâ copulâ, atque idcirco conjunctim accipienda sunt.

9 Postremò textus in *d. c. Iuramentum* æquiparat quidem juramentum, & simplicem loquelam, sed id quoad Deum, sic enim inquit: *Dominus inter Iuramentum & loquelam nostram nullam vult esse distantiam*: quia sicut in juramento nullam convenit esse perfidiam, ita quoque in verbis nostris nullum debet esse mendacium. Itaque quoad peccatum, quod utroque casu incurritur, nulla differentia est, non verò quoad gravitatem peccati; quo scilicet perjurus gravius obstringitur, quàm alter simplici loquelâ suâ, sicut ibidem rectè annotavit Glos. & Panorm. *in c. 3, sup. De pactis.*

10 Deinde in foro exteriore aperta differentia est inter juramentum & simplicem loquelam: nam illius transgressio perjurium incurrit, & repellitur à perhibendo testimonio, *c. Testimonium 54, sup. De testib. can. Iusames 11. quæst. 1, & l. Si quis major 41, C. De transact.* non item is, qui simpliciter, vel etiam data fide quid asserit vel negat, cùm id nullo jure expressum sit. Item solidius subsistit, quod juramenti accessione corroboratum est, *can. 1, XXII. quæst. 1*, neque testi, quantumcumque etiam religiosus sit, creditur nisi jurato, *c. Nuper 52. sup. De testib. & l. Iurisjurandi 8, C. De testib.* Imò confirmantur ea juramento, quæ alioquin per simplicem loquelam contracta aut gesta, ipso jure non subsistunt, *ut in c. Debitores 6, & c. Cùm contingat 28, sup. De jurejur.*

Neque nos turbare debet, quòd Andr. Gail *d. observ. 59*, in Camera Imperiali observari affirmat in Principibus & Illustribus personis, quòd promissio sub fide sua in omnibus vim veræ & juratæ promissionis habeat. Nam id potiùs ex consuetudine Germaniæ, quàm certâ lege receptum, propter summam existimationem Principum & illustrium personarum Germaniæ nostræ. Sicut in simili videmus singulari privilegio & longâ observatione obtentum esse in Austria & in Bohemia, quòd nobiles & illustres personæ personaliter comparere ad perhibendum testimonium non teneantur, sed sufficiat per scripturam sub fide sua absque corporali juramento deposuisse, & depositionem obsignatam judici examinis transmisisse, sicut testatur idem Andr. Gail. *lib. 1. obser. 101, num. 14*, ubi & idem in Bavaria & in aliis locis receptum testatur, ita quòd eorum sigilla, & propriæ manus subscriptio loco juramenti sit. Verùm hæc omnia singulari jure, id est, vel ex privilegio, vel consuetudine locorum introducta sunt, & in certis tantummodò personis, non verò in aliis. Unde ad alios minimè pertrahenda sunt, sed in his planè distinguenda est fides data, sive interposita ab ipso juramento.

In Cap. Juvenis 3.

SUMMARIA.

1. *Species facti Consobrini & Consobrinæ qui dicantur.*
2. *Septennium completum in sponsalibus contrahendis an requiratur.*
3. *Inter septennes verum matrimonium non contrahitur.*
4. *Impedimentum publicæ honestatis quod dicatur, quando & inter quos inducatur.*
5. *Conc. Tridentini circa hoc moderatio.*
6. *Impedimentum hoc oritur ex puris sponsalibus, non conditionalibus.*

CAP. hoc celebre est & unicum quoad decisionem suam. Cujus hæc species proponitur. Juvenis quidam puellam nondum septennem in uxorem duxerat, quam fortè & hac immatura ætate tentaverat cognoscere. Accidit autem, quòd defuncta hac puella, idem juvenis aliam ejusdem puellæ duxerit consobrinam. Dicuntur autem Consobrini vel Consobrinæ, qui quæve ex fratribus vel sororibus nati sunt, §. 4, *Instit. De gradib. cognat.* De quare consultus Summus Pontifex rescribit hoc Cap nostro, quòd consobrina illa tamquam injusta uxor à juvene removeri debeat. His rationibus ductus, quòd in

redu-

re dubia id quod certius videtur, capere debeamus. Est autem certius, id est, securius, ut potius præsumamus puellam à juvene cognitam fuisse, quàm incognitam, ne si fortè cognita fuerit, injustè detineatur consobrina in matrimonio, contra præscriptum SS. Canonum, *de quo in c penult in fine De consang. & affinit* Altera ratio est, propter honestatem Ecclesiæ, quam vocamus publicæ honestatis justitiam; quâ prohibemur cum consobrina sponsæ contrahere matrimonium, uti paulò pòst latiùs explicabitur.

2 Ut autem rectiùs hæc intelligantur, sciendum est, in sponsalibus contrahendis requiri, ut minimùm septennium sit completum, *cap. Literas 4. cum c. seq & c Ad dissolvendum 13, infra De desponsat. impub. & l In sponsalibus 14 in fine D. De sponsalibus*, quia hac ætate inest aliquod Judicium animi, quod sufficit in contrahendis sponsalibus, *d l In sponsalib.* utpotè jam superatâ infantiâ, quæ septimo ætatis anno exspirat, *l. Si infanti 18 C De jure deliber*

Et licet Panormit. *hic* existimet septennium in sponsalibus ineundis præcisè requiri, eo quòd hoc tempus certò definitum sit à jure, uti sit in aliis casibus, qui certum & præscriptum tempus à jure habent, quod anteverti nequaquam potest, veluti in testamento condendo, *l Quâ ætate 5. D. De testam* tum in tutela & cura, *toto tit. C. Quando tutor vel curator esse desinat*; contrà tamen & quidem rectiùs sentiunt Bernard. Innocent. Andr. *hic*, qui & hoc septennium ætatis malitiâ anticipari & suppleri posse existimant. Idem tradit hic ex communi sententia Joan. Ant. Georgius, quem vulgò Præpositum appellamus, addens ex eo malitiam præsumi, si puella patiatur se more uxoris attentari. Cui sententiæ suffragatur & D. Thomas *in 4. lib. Sentent quæst. 27. ad 7. arg.* & Covarr. *De sponsalib cap 2.* Et comprobat text. noster, dum loquitur de puella nondum septenni: tum & ratio Jurisconsulti *in d l In sponsalib* dum putat sufficere in sponsalibus contrahendis, quòd sponsi intelligant, quid agant; non igitur certa & determinata ætas requiritur. Si enim secus statuamus, puellam, de qua noster textus, ante septimum ætatis annum sponsalia contraxisse, neque malitiam in ea supplevisse ætatem, evenret, quòd Pontificis decisio nulla ratione defendi possit, dum vult eumdem juvenem, à consobrina, cum qua postea contraxit, separandum esse. Nam si priora sponsalia nulla fuerint, nihil impedit, quin cum posteriore, eaque consobrina constiterit matrimonium. Non enim præstat impedimentum, quod de jure non sortitur effectum, *cap. Non præstat De R I lib 6.* Quare igitur non similiter & in sponsalibus admittemus, judicium quoddam animi ante septennium per malitiam supplari posse?

Verùm Panormit. *hic circa fin* duo circa textum nostrum considerat: unum, quòd juvenis ille forsitan puellam attentaverit: alterum, quòd honestas Ecclesiæ intervenerit; quia dicebatur uxor ipsius, ac proinde putat hæc duo necessariò requiri, ut dispositio text. nostri locum habeat. Quod sanè colligi ex eo videtur, dum textus utramque rationem simul conjungit. Ego tamen opinor, alteram rationem, videlicet de sponsalibus contractis, sufficere; ex quibus scilicet solis hoc impedimentum publicæ honestatis oritur, *ut inf. latiùs dicam.* Unde cùm in priori puella malitia suppleverit ætatem septennem, non aliter quàm in matrimonio ætas puerilis suppletur malitia, *cap De illis & cap fin inf tit prox.* relinquitur matrimonium cum secunda uxore contractum ipso jure nullum esse, propter publicæ honestatis justitiam.

Observandum autem hic, licet textus noster 3
loquatur de matrimonio inter juvenem & puellam nondum septennem contracto, non tamen hoc verum matrimonium fuisse, sed de facto contractum: siquidem ea ætate perperam matrimonium contrahitur, *c 2 & ibi latiùs inf tit prox De desponsat impub* Sed huiusmodi matrimonium resolvitur in sponsalia iuris interpretatione, *c unico § idem quoque De desponsat impub lib 6.* ut eo saltem modo contractus valeat, quo valere potest, *arg l. Si tam angusto 12. D. De servitut.*

Habemus itaque in hoc textu nostro unum im 4
pedimentum matrimonii tam contrahendi quàm contracti dirimendi, videlicet propter honestatem, cui convenit *textus in c Literas, cum duob. c seq. inf tit prox* Quàm honestatem passim appellare solemus publicæ honestatis justitiam: siquidem honestum non est, ut sponsam illam sibi quis in uxorem adsciscat, quæ illi quodam modo affinis est, propter sponsalia cum eius consanguinea ante contracta; cùm in nuptiis non tantùm id quod licet, sed & id, quod honestum est, spectari debeat, *l. Servius 8 D De gradib. & affinib junctal. Semper in conjunctionibus 42. D. De ritu nupt.* Quo fit, ut & Justinianus hanc honestatem sequutus prohibuerit nuptias cum sponsa patris, item cum sponsa filii, *§ si uxor tua Instit De nupt.*

Neque inter sponsalia legitimè contracta sint, an inter eos, inter quos aliàs non potest consistere matrimonium, puta inter consanguineos, affines, solemni voto religionis adstrictos, aliosque similes, dummodò sponsalia non sint nulla ex defectu consensus. Sufficit enim ad inducendam hanc publicæ honestatis justitiam sponsalia tantummodò valere jure quodam naturali, propter naturalem consensum, qui inter utrumque intercessit, etiamsi juris humani auctoritate destituta sint, *per text in c. unico in princ. De sponsalib. lib. 6. & ibidem* Philip. Franc. *sub num. 3. c. Ad audientiam 4. inf. eod*

Quod tamen mirum videtur, propter hanc juris regulam: Non præstat impedimentum, quod de jure non sortitur effectum, *c. Non præstat De R. I. lib. 6 & §. ex eo Instit. Quibus modus testam. infirmen.* At verò sponsalia ab iis contracta, inter quos matrimonium consistere non potest, nullius sunt momenti, *l. Oratio 16. D. De sponsalib.* Non igitur, &c. Sed, ut dixi, sufficit ad inducendam publicam honestatem, quòd sponsalia saltem naturali consensu constent, & sic saltem, quoad opinionem vulgi falsò existimantis ea valida esse, generent hanc honestatem. Quippè in conjunctione matrimonii, etiam id quod honestum est spectare convenit, sicut & paulò antè meminimus, *per text. in d. l. Semper in conjunctionib. D. De ritu nupt.* A quo tamen hodie discessum est per Conc. Trident. cujus verba statim subjiciam

Hoc verò impedimentum publicæ honestatis extenditur, instar consanguinitatis & affinitatis, ad quartum gradum, ita quòd consanguinei sponsi intra quartum cognationis vel affinitatis gradum constituti, non possint cum eadem sponsa matrimonium contrahere, & è diverso, *cap. Sponsam 8. & ibi* Panorm *supra eod. &* Philip. *supra citato loco.*

Atq; hæc quoad jus Decretalium hîc profitemur. Hodie enim ex dispositione Concilii Tridentini alio jure utimur, cujus verba libet hic adscribere: Justitiæ publicæ honestatis impedimentum, ubi sponsalia quacumque ratione valida non erant, sancta Synodus prorsus tollit. Ubi autem valida fuerunt, primum gradum non excedant: quoniam in ulterioribus gradibus non potest hujusmodi prohibitio absque dispendio observari, *text. in cap 3 Sess 24. de reformat matrim.* Ex qua moderatione Concilii Tridentini efficitur, quòd hodie inter me & sponsam mei fratris Subdiaconi, vel Religiosi, vel aliter impediti rectè contrahatur matrimonium: item inter me & filiam sponsæ meæ. Quod antea jure Decretalium minimè admittebatur, ut jam antè demonstravimus. 5

Dum tamen hîc meminerimus primò, Concil. Trid non loqui de sponsalibus de præsenti, quæ verum matrimonium constituunt, sed de sponsalibus de futuro, ex declaratione Pii V. *in Extravag. Ad Romanum edita Anno* 1568.

Præterea meminisse oportet, hoc publicæ honestatis impedimentum oriri ex puris sponsalibus, non verò ex conditionalibus, *c unico § fin De sponsalib lib 6.* Pura vocamus, quæ purè, id est, absque conditione concepta sunt: Conditionalia, quæ conditionem annexam habent; veluti, si pater consenserit, vel mihi tantum donaveris, *c. 2 & c. 5. inf. De condit. appos* Siquidem conditio, antequam eveniat, nullam obligationem, nullumque effectum præsentem inducit, sed ex eventu ejus pendet, *§ ex stipulatione Instit. De verb. oblig. l. Cedere 213. D. De verbor. signif.* proinde si postea nondum existente conditione sponsus cum sorore sponsæ vel alia ejus consanguinea contraxerit matrimonium, non dirimetur idcirco hoc matrimonium, & è contrà, *d cap unico § fin.* 6

In Cap. Ad audientiam 4.

SEntentia hujus Capitis quæ sit, intelligitur ex iis, quæ Capite proximè præcedenti dicta sunt.

In Cap. De illis 5.

SUMMARIA.

1. *Sponsalia dissolvuntur propter discessum sponsi.*
2. *An & quamdiu sponsa teneatur expectare sponsum absentem.*

Alius

1 ALius modus dissolvendi sponsalia licet jurata hoc Cap. traditur, videlicet propter discessum sponsi. Consultus enim S. Pontifex ab Archiepiscopo Panormitano, quid statuendum esset de mulieribus, quarum sponsi post sponsalia contracta, & jure jurando utrimque confirmata, insciis iis ad exteras nationes se contulerunt; Respondet hoc textu nostro, liberum esse mulieribus cum aliis inire matrimonium, dummodò res adhuc integra sit, hoc est, si consensus de præsenti, vel carnis copula nondum intercesserit: nam per copulam transeunt sponsalia in matrimonium, *c. Is qui fidem penult. ubi latiùs inf. eod.* imposità tamen mulieribus pœnitentiâ, si per eas steterit, quo minùs matrimonium sit subsecutum.

Hujus decisionis ratio ex eo pendet, quòd sponsus, imprudente sponsâ, solum mutando, & aliò se recipiendo censeatur contemnere sponsam ex parte suâ, & consequenter renuntiare sponsalibus: unde & sponsæ eadem potestas renuntiandi relicta intelligitur; ita quòd hoc modo sponsalia utriusque dissensu, sponsi scilicet & sponsæ, solvi intelligantur, *c. 2. hoc tit.* Dominicus Soto *in lib. 4. Sentent. dist. 27 quæst. 2 art. 5. circa fin.* Quare hic non simplicem discessum aut abitum sponsi intelligimus, sed qui fit cum mutatione domicilii, sicut hic rectè *notat* Panorm. *sub num. 2.* & verba ipsa indicant, dum ait textus: *dimittunt terram, se ad alias partes transferentes.* Nam dimittere & transferre hic cum effectu accipienda sunt. Neque enim qui ex aliquo loco animi gratiâ vel negotii conficiendi causâ aliò se confert, dicitur dimittere terram, *l. Clam possidere 6. § qui ad nundinas D. De acquir. vel omit. posses.* quemadmodum nec studiosus studiorum causâ, sed retinet prius domicilium, *l. 2. C. De incolis lib. 10.* Quare discessus iste, qui animo redeundi fit, non inducit tacitam renuntiationem sponsalium.

2 Quod autem interpretes ad hoc Cap. accersunt *l. 2. C. De sponsal.* in qua biennium præstituitur sponsæ, si sponsus absit, sed tamen agitin eadem provincia, vel triennium, si extra provinciam peregrinetur, *l. 2. C. De repud.* non convenit textui nostro. Nec enim eo quæritur, ad quod tempus sponsus absens exspectari debeat, sed an statim relicta sponsa nubere possit alteri? Et respondetur eam posse, propter rationem supra allatam.

Attamen si quæratur, an sponsa exspectare teneatur sponsum peregrinantem, id est absentem, absque domicilii translatione? (domicilium autem transfertur, ubi quis larem, id est, sedem suam, vel summam rerum suarum aliò transtulit, *l. Cives 7. C. De incolis lib. 10.*) respondendum esset, secundùm jam dictam distinctionem, *ex d. l. 2. C. De sponsalib. & l. 2. C. De repud.* nisi necessaria causa absentiæ, veluti valetudo, vel mors parentum vel alia necessitas, longiori tempore sponsum præpediret. Nam exspectandus esset, donec cessaret impedimentum, *per text. in l. penult. D. De sponsalib.* Atque hanc distinctionem juris civilis etiam de jure Canonico observandam & retinendam esse existimant Hostien. Joan. Andreæ, Anton. & Sylvester, teste Covarr. *in Epitome de sponsalib. cap. 5. num. 7.* Cùm enim hæc res decisa non sit à sacris Canonibus, meritò ad Jus civile confugitur, *per text. in c. 1. inf. De novi operis nuntiat.* Et cur non? cùm sponsalia non sint Sacramentum, aut alia res spiritualis sive Ecclesiastica, sed contractus planè civilis, sicut dicam latius *ad cap. Ex literis Silvani 10. inf. eod.* Rectè tamen illi existimant, si subsit periculum fornicationis in sponsa, posse Judicem Ecclesiasticum etiam intra illud tempus sponsæ gratiam facere ineundi aliud matrimonium, *ut videre est apud* Did. Covarr. *jam allegato loco, & facit text. in c. fin. inf. De eo qui cognovit consang. uxoris suæ, & in cap. Quemadmodum 15. §. quod si post hujusmodi sup. De jurejur.* De cæteris modis solvendi sponsalia videte in Summa mea, & apud alios.

In Cap. De muliere 6.

PRoponitur hoc Cap. de muliere invita in matrimonium ducta: sed quia à consulente non exprimitur, qualis vis illata fuerit mulieri, cùm inter vim & vim (ut inquit textus) sit differentia, ideo rejicitur ejus petitio. Exemplo *l. Vt responsum 15. C. De transact.* & dicam latiùs *ad c. Cùm locum inf. h. tit.*

In Cap. Ex literis 7.

SUMMARIA.

1. *In contrahentibus matrimonium requiritur scientia & ætas.*
2. *Ætas legitima quæ.*
3. *In dubio verba revocanda ad communem loquendi usum.*
4. *An excuset contrahentes rusticitas aut simplicitas?*

SEntentia huius Capitis est, quòd verba contrahentium matrimonium, si obscuriora sint, ad communem interpretationem accommodari debeant. Species facti hæc fingi poterit. Contractis inter Titium & Mævium sponsalibus (intelligè de præsenti, ut contextus ipse indicat) ille asserit, se non intellexisse verba Mæviæ, aut longè aliter ea accepisse. Hac de re consultus S. Pont rescribit, Judicem ante omnia inspicere debere, an scientia & ætate idonei fuerint ad contrahendum matrimonium: deinde verò circa interpretationem verborum sequi communem intellectum.

1 Ubi notandum est, duo inprimis necessariò requiri in contrahentibus matrimonium, scientiam scilicet & ætatem. Per scientiam intellige iudicium animi: nam hæc est fundamentum consensus, quo perficitur matrimonium. Siquidem is consentire non dicitur, qui non scit, sive scit, sed non intelligit, licet corpore præsens sit, *l. Nihil 14 D. De auctorit. & consensu tutor. & l. Coram 209 D. De verb. signif. can. Sufficiat XXVII quæst. 2.* Ob quam causam rectè reiciuntur à matrimonio furiosi, amentes, & ebrii, dummodò tanta ebrietas sit ut alienationem iudicii inducat, *c. Dilectus 24 & ibi Henr. Bohic hoc tit. & can. Neque furiosus XXXII. qu. 7.* nisi furiosus vel amens haberet dilucida intervalla, quibus legitimè contrahit matrimonium, sicut & alii contractus rectè ab eo fiunt, *l. 2. C. De contrah. empt. & l. Cùm alius 6. C. De curat. furios.* imò & testamentum tempore intermissi furoris, *§ furiosi Instit. Quib. non est permiss. facere testam.*

Ætas verò legitima in contrahentibus ex pubertate æstimatur, quæ in masculo evenit post decimum quartum annum, & in fœmina post duodecimum; nisi malitia sive sagacitas naturæ hoc tempus antevertat, sicut latius dicetur *ad c. 2. inf. De desponf. impub.* 2

Quod autem verba, si de eorum interpretatione dubitetur, revocanda sint ad communem loquendi usum, probat hæc iuris sententia, quadicimus, verba non ex opinionibus singulorum, sed ex communi usu loquendi æstimanda esse, *per text. in l. Labeo 7 D. De supellect. leg. & in l. Anniculus 132. D. De verb. signif.* 3

Atque hinc nata est illa quæstio. Si mulier aut vir tanta rusticitate, sive simplicitate præpediatur, ut non intelligat vim & naturam matrimonii, sed putet se ad tempus invitari ad concubitum, aut se posse liberè quandocumque resilire à matrimonio, an hic contractus pro legitimo matrimonio accipiendus sit? Quod putat Innoc. & eum sequutus Panorm. *hic* eo quòd hoc casu recurrendum sit ad iuris intellectum, qui hic est, ut matrimonium perpetuum sit, non temporatium, *c. fin. inf. De condit. appos. & can. Solet XXXII. qu. 2.* Quæ sententia quidem vera est in obscuro, hoc est, si tempore contractus aliter non constiterit de mente contrahentium, quia tunc in dubio censentur contraxisse, iuxta naturam contractus: at falsa est, si constiterit, ut in proposita quæstione, propter defectum perpetui consensus, quii in matrimonio requiritur, *d. c. fin. & d. can. Solet.* Nec enim in re certa interpretatione opus est, *l. Continuus 137. § cum ita stipulatus in fine D. De verbor. obligat.* Utinec iura verba loquentium aliter interpretantur, quàm secundùm eorum intentionem: quippe verba intentioni, non è contra intentio verbis deservit, *can. Humanæ aures XXII. quæst. 5. c. Intelligentia 6. inf. De verb. signif.* 4

In Cap. Sponsam 8.

HOc Cap. prohibentur consanguinei sponsi contrahere matrimonium cum eiusdem sponsa: intellige usque ad quartum gradum, hoc iure nostro. At hodie ex concessione Concilii Tridentini usque ad secundum gradum exclusivè, sicut *supra eod. ad cap. 3.* tradidimus. Quod autem Cuiacianus Posthumus hic existimat, verbum *maximè* in textu nostro supervacaneum esse, de eo dictum suprà.

In Cap.

In Cap. Ex parte 9.

SUMMARIA.

1. *Matrimonium an verbis de futuro contrahatur.*
2. *An his verbis*, Juro *vel* Promitto, quòd de cætero habebo te pro uxore &c.
3. *An his*, Non habebo aliam in uxorem nisi te?
4. *An hæc vel simili formulâ*, Volo tecum contrahere matrimonium, &c.
5. *Verba ad intentionem proferentis redigendæ : & intentio ea unde colligenda.*

DEclarat hoc Cap. Summus Pont. verum inter eos matrimonium contractum intelligi, si vir & mulier juraverint, ab eo tempore se invicem pro conjugibus habituros, mutuamque fidem conjugalem servaturos. † Nam tametsi verbis futuri temporis usi fuerint, tamen re ipsa præsens tempus includunt, ac consequenter erit matrimonium, quod solo consensu contrahitur, *can. Sufficiat* XXVII. *q.* 2, *& c. Cum locum* 14, *h. t.* Qui enim ex eo tempore, id est, præsenti tempore se habiturum aliquam in uxorem profitetur, necessariò in eam uti in uxorem consentit, ac proinde si idem respondeat mulier, aut saltem assentiatur, statim inter eos matrimonium nascitur: nam qui vult consequens (ut dici solet) tacitè censetur voluisse & antecedens, sine quo illud consistere non potest, *c. Præterea* 5 *sup. De officio & potest. jud. deleg. & l.* 2, *D. De jurisd. omn. jud.*

Quare & his verbis, *Juro*, vel *Promitto* (nam in re juramentum necessariò non exigitur, quamvis textus noster illius meminerit) *quòd de cetero habebo te pro uxore*, vel *quòd semper providebo tibi tamquam uxori*, mulierque idem in se recipiat, rectè matrimonium contractum intelligitur, *per hunc text. & quæ tradunt hic* Panorm. & Henr. Bohic. Nam his verbis me obligans ad executionem matrimonii, videor de præsenti consentire in matrimonium. Secus verò, si absque adjectione hujusmodi temporis, utrimque promittatur, puta, *Habebo te in conjugem meam*, vel *Promitto quod te ducam in uxorem*: nam cùm his verbis futurum tantummodò tempus contineatur, non potest ex iis colligi contractus matrimonii, qui præsenti consensu constat; sed dumtaxat sponsalia de futuro, sicut pulchrè contra alios defendit Did. Covarr. *in hunc lib. IV. Decretal. p.* 1, *cap.* 4, §. 1.

Ubi & hanc quæstionem valdè perplexam disputat, An scilicet ex his verbis, *Non habebo aliam in uxorem nisi te*, contractum matrimonium intelligatur, an verò sponsalia de futuro? Et rectissimè dicit, neque sponsalia accipi posse: cùm hic verborum sensus sit, ut, si contingat me accipere uxorem, non aliam quàm te in uxorem habebo; ita quòd hæc promissio sit conditionalis. Quemadmodum si quis promittat, se non alienaturum domum suam extra familiam, aut si Imperator promittat, se non gesturum bellum hoc anno nisi contra Turcas: nec enim eo ipso promittitur, domum se alienaturum intra familiam, aut se gesturum bellum hoc anno contra Turcas: siquidem dictio (*nisi*) in hujusmodi orationibus posita resolvitur in conditionem: si alienaturus sum, non alienabo extra familiam. Item, si gesturus sum bellum, non geram, præterquam contra Turcas.

Similis controversia est de his contrahendi formulis: *Volo tecum contrahere matrimonium*, vel, *Volo ducere in uxorem*: item *Volo te habere in uxorem*, vel *Volo te tenere in uxorem*. Verùm prioribus duabus speciebus rectè censent Dd. nostri *in c. Ex literis inf. eod.* quòd sponsalia intelligantur, non matrimonium: posterioribus verò duabus matrimonium. Cujus diversitatis rationem hanc reddunt, quod verbum (*volo*) adjunctum his, quæ alium actum desiderant, nihil perfectè disponat, sed sit initium, sive cogitatio futuri actus: veluti si dicam, Volo eligere, non enim sequitur, Ergo eligo, cùm eligere actus per se sit. Item, Volo relinquere, volo instituere hæredem, volo adire hæreditatem, volo scribere: nec enim ideo relinquo, instituo, adeo, scribo, sed in his actu sive alia voluntate opus est. Quibus cùm similes sint hæ duæ formulæ, *Volo tecum contrahere matrimonium*, *Volo te ducere in uxorem*, non continetur præsens matrimonii consensus, sed tantùm voluntas contrahendi matrimonii, *per text. in c. Ex literis Silvani* 10, *h. t. in verb. se juravit ducere in uxorem.* Sin verò verbum *Volo* nullum futurum actum respicit, tunc perfectam voluntatem designat, ut in his exemplis, Volo istam rem *per text. in l. Ausidium* 20, *D. De optime leg.* item, Volo hæres esse, §. *penult. Instit. De hæred. qualit. & differ.* item Volo Caium mihi hæredem esse, vel volo hæredem meum

dare centum Caio, *l. Et eo mum* [illegible] D. *De legat.* 1, In his enim & sim libus, nulla alia voluntas vel actus exspectatur, cùm in se perfecta sit voluntas. Quare idem judicium est de his formulis, *Volo te habere in uxorem*, vel, *Volo te meam esse uxorem*. De quibus fusiùs Jacob. Menoch *de arbitr. jud casu* 486, & Covarr. *sup. citato loco, Adde* & Bald *in Auth. Et qui jurat num.* 18, *C. De bonis auctor. jud. possid.*

8 Atque hæc ita exaudienda sunt, nisi aliter de mente loquentis constet, à qua non est recedendum, *c. Tuanos* 26. *h t.* & *l. Semper in stipulationib.* 34 *D. De R I l Non aliter* 67, *D De legat.* 3, quia verba quocumque modo prolata ad intentionem proferentis redigenda sunt, *c. Intelligentia* 6, *inf. De V. S can. Humanæ aures* XXII. *q* 5, quæ quandoque deprehenditur ex consuetudine ejus, qui loquitur, *l. Si servus* 53, *§. fin* D. *De legat.* 1, & *l. Nummus* 75, *De leg.* 5, quandoque ex consuetudine regionis, in qua loquens versatur, *d. § fin d. l. Semper* & *c. Ex litteris* 7, quandoque verò ex iis, quæ præcedunt, vel quæ sequuntur, *d. §. fin* & *l Titia* 134, *§. idem respondit D. De verbor obl.* & *d. l Nummus*, alias à significatione verborum non receditur, *d. l. Non aliter*. Et hæc ita obtinent quoad forum exterius: nam quoad forum interius sive conscientiæ, rei veritas semper ex intentione æstimatur, *per text. in d. c Tuanos*. A qua interdum cogitur judex recedere, quando ipsi de intentione non constat, cùm de occultis judicare non possit, *c unico § porro sup. Ut Ecclesiastica beneficia sine diminut. conf.* & *can Erubescant dist.* 32, Quo fit, ut quandoque judex pronuntiet ibi esse matrimonium, ubi revera non est, propter defectum consensus interioris, de quo tamquam de occulto non judicat; & è converso ibi non esse matrimonium, ubi revera subest, ob eamdem rationem.

In Cap. Ex litteris Silvani 10.

SUMMARIA.

1. *Iuratò promittens se ducturum aliquam in uxorem an ad hoc compelli possit?*
2. *Sponsalium renuntiatio permissa jure civili, non etiam Canonico.*
3. *Ex sponsalibus nascitur utrimque obligatio ad contrahendum matrimonium.*
4. *Cur obligatio hæc sit præcisa.*
5. *Prohibetur quis etiam juratò promittens compelli, ubi causa subest.*
6. *Quæ sit rationabilis causa.*
7. *Ecclesia tolerat quandoque minus malum ad evitandum majus.*

OMissâ facti specie, brevitatis causâ, decidit hoc Cap. Summus Pont. eum, qui juratò promisit, se ducturum aliquam in uxorem, monendum esse, & si nō acquieverit monitioni, Ecclesiasticâ censurâ, videlicet per excommunicationem compellendum esse ad matrimonium contrahendum, nisi tamen rationabilis causa sit, & cur compelli non debeat.

1 Huic videtur obstare textus *in cap. Requisivit* 17, *h t.* quo quidem moneri jubetur mulier, quæ jurata promisit se nupturam alteri, non tamen compelli. Ratione hâc additâ, quòd libera debeant esse matrimonia, & coactiones soleant frequentiùs habere difficiles exitus.

Antequam verò hæc loca inter se concilientur, præmittendum est, quòd de jure civili permissum sit sponso vel sponsæ impunè renuntiare sponsalibus, *l.* 1, *C. De sponsalib.* præterquam si arrhæ intervenerint, quæ duplicatæ à renuntiante restituuntur, *l fin. C eod. tit.* sicut *ad e Gemma* 29 *inf eod.* latius à me explicabitur. Aliter verò obtinet de jure Canonico, eo enim hæc renuntiatio unius, invito altero, prohibita est, *per text in c. De illis § mulier* & *ibi Gl. inf. De desponsat impub.* & *textus hic*. Quippe studiosè agendum est, ut ea, quæ promittuntur, opere compleantur, inquit *textus in c.* 3, *sup. De pactis*. Ut hinc quoque ex nudo pacto nascatur actio de jure Canonico, ex communi Dd. sententia, etiam quoad forum civile, propter peccatum, quod violans fidem alteri à se datam incurrit, de quo fusiùs Dd. nostri & nos *in c* 1, *sup. De pactis*.

Sed ad sponsalia regrediamur. Ex his igitur; inter sponsum & sponsam obligatio nascitur, ut ad contrahendum matrimonium per judicem Ecclesiasticum constringi possint. Neque interest, simplicia sponsalia sint, an jurata, *d § mulier*, & *per hunc text. nostr.* usque adeò, licet quis post sponsalia simpliciter contracta, alia rursus inierit cum alia muliere etiam jurata; nihilominus enim prioribus insistere cogitur, ex Inn. & Pan. sententia

tia *in c Sicut* 12, *h.t.* quæ hac ratione nititur, quòd juramentum subsequens non deroget simplici promissioni, ideo, quòd hæc non minùs servanda sit, sub peccati pœnâ, quam juramentum, *d. c.* 3, *& can Iuramenti* XXII *qu* 3, neque juramentum debet esse vinculum iniquitatis, *c Non est obligatorium De R.I in* 6, *c. Quanto* 18. *sup. De jure-jur.*

Nec movet, quòd in obligationibus facti ne-
4 mo præcisè compelli possit, sed præstando interesse liberetur, *per text. in l. Stipulationes non dividuntur* 72, § *Celsus D De verbor oblig.* quia id locum non habet in iis, quæ non recipiunt æstimationem, ut matrimonium, aliaque spiritualia; in his enim quis præcisè ad factum compelli potest, uti rectè tradit Panorm. *hic sub num.* 5. Et ratione non caret. Quòd enim in obligationibus facti interesse veniat, si factum non præstetur, hoc fit ex præsumpta mente contrahentium Nam cum factum ab invito non rectè præstari soleat, juxta illud. Rarò respondent coacta ingenia, videtur saltem inter contrahentes id tacitè actum, ut, si non fiat, succedat interesse in locum facti. Quod non est in iis, quæ æstimationem pretii non recipiunt, ac proinde præcisa horum obligatio est. Unde & hoc textu nostro compellitur sponsus ad contrahendum matrimonium cum sponsa; non tantùm ideo, quòd jurata fuerint sponsalia (quo videtur niti decisio textus nostri) verùm etiamsi simpliciter contracta fuissent, juxta ea, quæ jam diximus.

Neque adversatur text. in *d.c. Requisivit* 17, *h.t.*
5 quo prohibetur compelli sponsa quæ se nupturam alteri juratò promisit: quia respondetur, tunc minimè eam compellendam esse, ubi causa subest, cur compelli non debeat, puta si sponsa ita exhorrescit sponsum, vel è contrà sponsus sponsam, ut verisimile sit, difficilem futurum matrimonii exitum; nam hac specie admittit Ecclesia minus illud malum, ut maius evitetur; admittit potiùs perjurium, ne invitæ nuptiæ majores difficultates ingerant. Hostien. *d.c. Requisivit.* Nec Ecclesia vult, neque potest, quem invitum constringere ad contrahendum matrimonium; cùm in eo contrahendo liber consensus utriusque requiratur, *cap. Cum locum* 14, *& ibi latius dicam hoc tit.*

Unde rectè in textu nostro adiicitur: *nisi rationabilis causa obstiterit, cur per censuram Ecclesiasticam compelli non debeat* Quam meritò hanc interpretamur, de odio immenso sponsi erga sponsam, vel è contrà; non ut ibi Glossa, quæ rationabilem causam putat esse consanguinitatem, affinitatem, vel aliud perpetuum impedimentum. Quæ interpretatio non convenit textui, cùm ne his quidem casibus moneri debeat ad contrahendum matrimonium sponsus & sponsa, *per text. in cap. penult. inf. De consang & affin.* At verò si nulla justa causa subsit, reluctans omninò cogendus est, propter præcedentia sponsalia, etiam per censuram Ecclesiasticam, ad contrahendum matrimonium, *per hunc text. nost.* ut ita ex nolente fiat volens, *argum. text. singularis in can Vides* XXIII. *quæst.* 1, Itaque hæc compulsio ad eliciendum liberum consensum adhibetur, non verò ut invitus adigatur in matrimonium; quod & hoc casu nullum esset, si ab invito contraheretur, *d c. Cùm locum.*

Unde hîc observandum est, quòd Ecclesia toleret quandoque minus malum, ad evitandum maius malum: tolerat potiùs perjurium, quàm homicidium, perpetuas lites, adulteria, fornicationes, quæ ex matrimonio ab initio contracto oriri solent. Sic & permittit meretrices ad evitanda stupra, adulteria, aliosque fœdissimos concubitus, *cap. Inter opera* 20, *hoc tit.* tametsi meretrices esse, & ad eas accedere mortale peccatum sit, *can. Meretrices, & can. Nemo blandiatur* XXXII. *quæst.* 4, Et facit textus elegans in *l. Palam* 43, *D. De ritu nuptiar.* ubi cùm respondisset Ulpianus, meretricem, etiamsi turpitudinem suam intermiserit, adhuc tamen infamiâ notari, subiicit hæc verba: Non est ignoscendum ei quæ obtentu paupertatis turpissimam vitam egit.

In Cap. Non est vobis 11.

SUMMARIA.

1. *Matrimonium non liberat à patria potestate.*
2. *Matrimonii vinculum majus est quàm patriæ potestatis.*
3. *Matrimonii judex est Ecclesiasticus, non secularis.*

Ex

1 EX hoc textu evincitur, patrem per judicem Ecclesiasticum constringi posse, ut uxorem filio suo apud se retentam restituat, ex sententia Bernardi, Panormit. Præpositi & Butrii hic. Facti species hæc proponitur. Rex Angliæ, ortâ dissensione inter se & filios suos, detinuit eorum uxores. Qua de causa aditus S. Pont. mandat Archiepiscopis, Episcopis & aliis Prælatis Angliæ, ut patrem moneant de restituendis uxoribus, &, si non paruerit, interdicant divina officia in ipsius Regno celebranda.

Ratio decisionis hæc est, quòd etsi per matrimonium, filii non exuantur patria potestate, §. *qui igitur Instit De patria potest.* quemadmodum neque filia, *l.* 2, §. 1, *D. Soluto matrim.* non tamen uxores eorum subiiciuntur soceri potestati; cùm hic modus induendæ patriæ potestatis nullo jure extet: imò receptum est in filia in potestate patris sui adhuc existente, quòd, si invita ab eo detineatur, possit maritus contra eumdem patrem agere interdicto ad exhibendam & à se abducendam uxorem, *per text. in l.* 2, *D. De exhiben liber. & l.* 3, *C eod t & l Si invita* 11. *C. De nupt.* † cùm hac in re majus sit vinculum matrimonii, quàm patriæ potestatis, *l* 1, *in fine D d tit. De liberis exhib. l. Possessionum* 11, *C. Commun utriusque judicii.* Dixi, si in vita detineatur uxor à patre, vel ab alio quopiam; quia si volens absit uxor, agetur dumtaxat contra eam, implorato judicis officio, sive is Ecclesiasticus, sive sæcularis sit, ut ad maritum redeat, *l. fin. & ibi Glos. D. De lib exhib.* Panorm. & Bart. *hic.*

Neque obstat, quòd matrimonii Judex Ecclesiasticus sit, non sæcularis, *c.* 2, *sup. De judiciis, c. Lator* 5, *cap. Causam* 7, *inf. Qui filii sint legit. & Concil. Trid. Sess* 24, *can* 12, *de Sacram. matrim* Quia id verum est, ubi de jure matrimonii, hoc est, an legitimè contractum sit matrimonium, an filiter legitimo matrimonio nati; nam his & similibus casibus tantummodò judex Ecclesiasticus aditur, *jam dictis juris* Secus, ubi agitur de recuperanda uxore, & sic judicium quasi possessorium intentatur; hoc enim æquè per judicem sæcularem exerceri potest, cum nihil commune habeat possessio cum proprietate, *l Naturaliter* 12, §. 1, *D. De acquir. vel amitt possess & facit textus in cap.* 2, *De jurejur. lib.* 6, Ad Ecclesiasticum verò judicem quoque pertinet hujus rei judicium, propter peccatum, quod incurrit mulier, subtrahendo marito conjugale debitum: cùm, ut inquit D. Paulus, mulier non habeat potestatem corporis sui; sicut è diverso nec vir sui corporis, sed mulier, 1, *Corinth. cap.* At ubi peccatum vertitur, dubium non est, rectè adiri judicem Ecclesiasticum.

Quod autem subiicit textus noster de officiis divinis interdicendis, pertinet ad interdictum Ecclesiasticum, de quo videantur, quæ tradidi in Summa Juris Canonici, *in* §. *Non tamen interdicti* 4. *tit. De sentent. excommunicat.*

In Cap. Præterea 12.

SUMMARIA.

1. *Affinitas ex fornicario coitu qualiter impediat matrimonium.*
2. *Allegans propriam turpitudinem an audiendus.*

DECISIO hujus textus singularis est, & notatu digna, qua dissolvuntur sponsalia ob dictum unius asserentis, se cognovisse sponsam sui consanguinei. Species facti hæc proponitur. Titius cum sponsalia contraxisset cum Mævia, supervenit Sempronius consanguineus ipsius Titii, Episcopo denuntians, se deliquisse, id est, rem habuisse cum Mævia: noluit tamen id propalare, propter metum & potentiam Mæviæ. Qua de re consultus S. Pont. rescribit hoc cap. nostro, prohibens matrimonium contrahi inter Titium & Mæviam, præterquam si juramentum intervenit. Rationem hanc adferens, ne deterius, inquit, inde contingat, videlicet propter affinitatem, quæ inter Titium & Mæviam orta fuit ex Sempronii concubitu cum ipsa Mævia, † Quæ 1 matrimonium contrahendum impedit, & contractum dirimit, *c. Fraternitati* 7, *cum duob seqq. De eo qui cognovit consang uxoris suæ, c.* 2, *De consang & affinit.* dum tamen Sempronius attigerit Titium intra quartum consanguinitatis gradum; quod necesse est hoc jure Decretalium, *cap. Non debet d tit. De consang & affinit.* Secus hodie ex dispositione Concilii Trid. quo affinitas, quæ ex fornicatione nascitur, restricta est ad primum & secundum consanguinitatis gradum, *sicut videre est Sess* 24, *cap.* 4, *de reformat.*

Duo autem ex hoc textu nostro notanda occurrunt.

currunt. Unum, quòd Sempronius consanguineus Titii, allegans turpitudinem suam, id est, quòd cum sponsa Titii concubuerit, audiatur, contra textum *in cap. Inter dilectos* 8, *& ibi notat Glos. sup. De donationib. & in l.* 4, *C. De revoc. donation.*

Alterum est, quòd ad dictum unius Sempronii matrimonium contrahi prohibeatur, quod & adversari videtur textui *in c. Licet* 23, *in fine sup. De testib. & in l. Iurisiurandi* 8, *De testib.* quibus non admitteitur testimonium unius testis.

Verùm utrumque in specie Cap. nostri permittitur, propter periculum animæ, quod fortè subest ob allegatam affinitatem. Siquidem tutius est in re dubia certum accipere pro incerto, hoc est, ut statuamus potiùs concubitum inter Sempronium & Mæviam intercessisse ad impediendum matrimonium, quàm ut opinemur non intercessisse; ne si fortè intercesserit, matrimonium contrahatur inter affines, contra præscriptum sacrorum Canonum, sicut in simili specie videre est *in c.* 3, *sup. eod.* Tum quoque res est non magni præjudicii, si sponsalia inter Titium & Mæviam hac de causa distrahantur, cum facilè invenire possint similem, cum quo contrahant.

Quod autem addit textus, *nisi juramentum intervenisset*, eò pertinet, ut, si sponsalia juramento confirmata sint inter Titium & Mæviam, ad dictum unius, scilicet Sempronii, matrimonium impediri non debeat, propter periculum perjurii; ac proinde cautiùs hæc res tractanda est, *c.* 3, *De elect. lib.* 6.

In Cap. Veniens 13.

Hujus Cap. sententia hæc est, quòd mulier invita in uxorem ducta, si postea alteri nubat, valeat hoc posterius matrimonium, abrogato priore, quod ipso jure nullum fuit, nisi metus, antequam cum secunda contraheretur, purgatus fuerit per subsequentem consensum ipsius mulieris, videlicet propter spontaneam cohabitationem vel copulam, *c. Ad id* 21, *& ubi latius h tit. & cap* 2, *De eo qui duxit in matrim. &c.* Quod autem metu initum matrimonium ipso jure nullum sit, dicam inf. cap. proximo.

In Cap. Veniens locum 14.

SUMMARIA.

1. *Matrimonium metu contractum ipso jure nullum est.*
2. *Non etiam alii contractus.*
3. *Matrimonii bona tria.*
4. *Iuramentum metu extortum non supplet defectum consensus.*
5. *Iuramentum qualiter sortiatur naturam actus, cui apponitur*
6. *Iuramenta quando servanda.*
7. *Ei succurri non debet, qui sibi ipsi necessitatem injecit.*
8. *Metus justus quis*
9. *Metum justum patitur quis etiam in liberis suis.*
10. *Iustum metum an verba minateria inferant.*
11. *Metus reverentialis an impediat libertatem matrimonii.*
12. *Metus ex præscripto juris illatus non obest matrimonio vel alteri contractui.*
13. *Vi & metus suapte naturâ vel ab alio tertio illatus.*

EX hoc Cap. planum fit, matrimonium libero consensu contrahi oportere, adeò quòd metu contractum ipso jure sit nullum, *consentit text. in c. Significavit inf. De eo qui duxit in matrim. & in l. Nec filium* 12, *C. De nupt.* 1

† Aliter obtinet in aliis contractibus, qui etsi metu initi sint, tamen ipso jure valent, cùm coactus consensus etiam consensus sit, *l. Si mulier* 21. §. *penult. D. De eo quod metus causa, can* 1, XV *q.* 1. Sed per actionem quod metus causa rescinduntur, *d.* §. *penult. & passim toto tit. D. & C. De his, quæ vi metusve caus.* Diversum verò est in matrimonio, eò quòd coactæ nuptiæ soleant habere difficilem exitum, *text. hic & in c. Requisivit* 17, *eod.* 2

Reddit aliam rationem hic Panormit. quòd in matrimonio tria hæc bona insint, Sacramentum, proles, & fides, *can. Omne itaque* XXVII. *q.* 2, *& c. fin. inf. De condition. appos.* Quæ substantialia bona appellantur, eò quòd sine his matrimonium contrahi non possit, saltem quod attinet ad prolem & ad fidem, *d. c. fin.* At verò hæc per metum exclu- 3

duntur. Sacramentum quidem ideo, quòd matrimonium metu contractum non referat unitatem Christi cum Ecclesia sua, quæ voluntaria fuit, per assumptionem humanæ naturæ. Quare idem etiam necesse est in matrimonio; ut ita signum correspondeat signato, *arg. §. est & aliud insti. ut. De donat.* Proles verò excluditur, quia ex eo, quòd alter alteri displicet, non vacabunt procreationi prolis. Tertiò excluduntur bonum fidei, quòd periculum subsit, ne invitus vel invita dilabatur ad alienos complexus, hoc est, in adulterium, quod fidei conjugali contrarium est, *d. c. fin. De condit. appos. & can. De nuptiis* xxxi. *q.* 2, Hæc igitur cùm repugnent institutioni matrimonii, fit, ut matrimonium non nisi libero consensu contrahi possit. Neque juvat, si fortè juramentum accesserit: non enim ideo magis hujusmodi matrimonium convalescit, *cap.* 2, *De eo qui duxit in*
4 *matrim.* † cùm juramentum, quod similiter metu extortum est, non suppleat defectum consensus, *text. elegans in l. fin. C. De non numer. pecunia.*

Et hanc opinionem communi calculo receptam testatur Panormit. *hic*, præter Cardinalem, qui existimat matrimonium metu contractum, ipso quidem jure valere, sed per actionem quod metus causa rescindi posse, sicut accidit in aliis contractibus. Sed falsa hujus sententia est ex iis, quæ jam dicta sunt, præcipuè *ex d. c. Significavit.* Quare non immeritò ab omnibus Dd. explodi-
1 tur, attestante Petro Mozzio *in tract. de Nuptiis sive de Matrim. tit. de substantialib. matrimonii num.* 4.

Et hinc nec Panorm. audiendus est, qui *ad cap. Abbas num.* 8 *sup. De his quæ vi metusve causa*, putat matrimonium metu contractum, & juramenti accessione confirmatum, hoc operari, ut jurans matrimonium debeat contrahere, vel absolutionem petere à juramento, *per text. in cap. Si verò & in cap. Verum sup. De jurejur.* Nam hic rectè refellitur per Covarr. *in Epit. libri IV. Decretal. in* 2, *p. cap.* 3. §. 5, *num.* 3, hac ratione, † quòd juramentum sortiatur naturam sive conditionem ejus actus, cui confirmandi causa adhibitur, *per text. in d. l. fin.* At verò contractus matrimonii metu initus ipso jure nullus est; ergò & juramentum. Quæ tamen ratio sano modo accipienda est, ubi scilicet actus ex parte consensus deficit, *ut hic & in d. l. fin.* Cæterùm si juris tantummodò auctoritate actus irritetur, juramentum accedens eam vim habet, ut omninò actui stari debeat, propter adjectionem juramenti, veluti in alienatione doris, *c. Cùm contingat* 28 *sup. De jurejur. & c.* 2, *eod. in* 6, item in renuntiatione paternæ hæreditatis, *c.* 2, *De pactis lib.* 6, item in solvendis usuris à debitore promissis creditori, *c. Debitores* 6, *De jurejur.* Quæ omnia fundata sunt in ea Juris Canonici regula, quâ dicimus, † toties juramentum servandum esse, 6
quoties non redundat in alterius præjudicium, nec vergit in salutis æternæ dispendium, *d. c. Cùm contingat & d. c.* 2, *De pact. in* 6, Diversitatis hæc ratio est, quòd hi actus naturâ suâ valeant, propter naturalem consensum, sed tantùm à jure improbentur. At in matrimonio metu contracto non est consensus liber, qui in eo contrahendo naturâ suâ requiritur, ut suprà demonstratum est. Igitur juramentum, quod confirmandi matrimonialis consensus causâ interpositum est, nihil præterea operatur, quàm ipse consensus metu extortus, qui re ipsâ nullus est. In cæteris verò actibus, qui simplici consensu constant, sed metu extorti sunt, verum est, juramentum in tantum obligare, ut priùs quàm contra eos agi possit, necessaria sit absolutio à juramento, *per text. in d. cap. Si verò & in d. cap. Verum, & latius comprobat* Covarr. *d.* §. 5.

Atque hæc quæ de matrimonio dicta sunt, adeò obtinent, etiamsi quis suâ culpâ in metum inciderit; ut si, v. g. quis in stupro deprehensus cum puella, cogatur à parentibus vel cognatis puellæ adacto pugione, vel verberibus, vel alio justo metu, cum eadem matrimonium contrahere. Non enim ideo magis subsistit matrimonium, propter defectum liberi consensus, *per text. in c. Veniens ad nos* 15, *hac nost. tit.*

Nec movet, si objeceris, Ei succurri non debere, qui sibi ipsi necessitatem injecit, *l. Fidejussor* 7. 7
§. 1, *in fine D. Qui satisd. cog.* Et, quòd quis suâ culpâ sentit, sentire non videri, *l. Quod quis D. De R. I.* intellige juris interpretatione, quo non admittitur culpæ excusatio. Quia prius illud obtinet, ubi quis sponte sibi injecit necessitatem ejus rei præstandæ, quam antè liberum erat præstare, *ut in specie d.* §. 2, *& in l. Sicut C. De actionib. & oblig.* At verò stuprum non animo contrahendi matrimonii fit, imò potiùs non contrahendi, sed fruendi tantummodò puellâ.

Et si hîc rursus objeceris: Saltem si sponsalia antè præcesserint, cogetur talis matrimonium contrahere. Imò censetur contractum esse matrimonium per concubitum sponsi & sponsæ, ut non sit necessarius alius consensus, *per text. in c. Is qui* 30, *& ibi latiùs h. t.* Ad alterum quod attinet, stupratorem culpa non excusat, quin in eum pœnâ stupri animadverti possit, *per text. in* §. *item*

lex

lex Iulia adult. vers. pœnam Instit. De publicis jud.

Neque impedit textus *in can. Inter cætera* XXII. *q.* 4, Quo loco Hubaldus quidam captus, & timore necis impulsus suæ concubinæ juraverat, se recepturum eam in conjugem. Et subdit postea textus, *Matrimonium sit in Deo firmum & stabile.* Verùm respondetur, cum textum exaudiendum esse de sponsalibus metu mortis per Hubaldum contractis, sicut verba apertè indicant. At verò quoad matrimonium, illud postea fuisse libero consensu contrahentium subsecutum, nec enim in matrimonio ulla metus mentio fit.

8 Intelligimus autem metum non quemlibet, sed justum, qui scilicet cadit in constantem virum, *per text. in c. Veniens* 15, *& in c. Consultationi* 18, *h. t.* vel, ut Caius Jurisc. loquitur, qui cadit in hominem constantissimum, *in l. Metum autem* 6, *D. De eo quod metus causa.* Puto tamen in constantem sufficere, propter jura *in d. c. Veniens & in d. c. Consultationi.* Quare etiam Labeo metum definit, timorem majoris mali, *in l. Metum* 5, *D. jam d. tit.* Etenim convenit constanti & prudenti viro ex duobus malis id quod minus est seligere, *can. Duo mala* 12, *dist.* hoc est, (ut ad præsens argumentum accommodemus) ut potius de facto matrimonium contrahat, quàm ut mortis, aut alterius gravioris mali subeat periculum. Quare & præsentem hunc metum esse oportet, non suspicionem inferendi ejus, *l. Metum* 9, *D. d. tit. & l. Metum* 9 *C. eod.* Siquidem constans vir non nisi ex probabili & vehementi æstimatione periculi impendentis commovetur. Itaque metus justus esse debet, præsentis mali, non futuri, non etiam vanus. Nam vani timoris excusatio nulla est, *l. Vani timoris D. De R. I. & d. l. Metum autem.* Exempla justi metus sunt, timor mortis, verberum, cruciatus corporis, *l.* 3, *in fine D. d. tit. l.* 4, *& l.* 7, *C. eod. l. Interpositas* 13, *C. De transact. & c. penult. h. t.* item servitutis, *l.* 4, *& l.* 8, *D. d. tit.* nam hæc morti comparatur, *l. Servitutem D. De R. I.* item stupri, cujus metus gravior est in bonis viris, quàm ipsius mortis, *l. Isti quidem* 8, *D. De eo quod met. caus.* item metus amissionis omnium honorum, vel majoris partis, *c.* 2, *sup. De his quæ vi metusve caus. & c.* 1, *De restitut. spoliat. lib.* 6, nam vita nostra absque his consistere non potest, ut latius tradit Covarr. *in Epit. hujus libri IV in* 2, *p. c.* 3, § 4, *num.* 30, Adde metum carceris seu vinculorum, *l. pen. & l. ult.* §. *si justè D. De eo quod met. caus. & l. Servitutes* 9, *D. Ex quib. caus. majores.* Item adde periculum honoris sive existimationis, *l. In eadem* 10, § *fin. jam d. tit.* ubi eleganter dicitur, eum in vinculis esse, qui ita alligatus est, ut sine dedecore non audeat in publico comparere. Etenim crudelis est is, D. Augustino teste, *in can. Nolo* XII. *q.* 1, qui fidens conscientiæ suæ negligit famam suam. Hi profectò casibus constantis hominis animus percellitur; ac proinde causam adferunt justi metus.

Neque necesse est, justum metum in nobis ipsis 9
experiamur, sed sufficit vel in liberis nostris: cùm nihil intersit, inquit pulchrè Paulus Jurisc. in se quis veritus sit, an in liberis suis; cùm pro affectu magis in liberis parentes terreantur, *text. est in d. l. Isti quidem* 8, *in fine D. De eo quod met. caus.*

An autem minatoria verba justum metum in- 10
ferant, ex prædictis facilè intelligitur; cùm præsentem metum esse oporteat, hoc est, qui atrocitate facti ostenditur, *l. Metum* 9, *in pr. D. De eo quod metus causa, & l. Metum* 9, *C. eod. tit.* præterquam si ab eo exprimantur minæ, qui solet eas executioni mandare; quâ specie & minæ justum metum inducunt, *l. Si donationis* 7, *in verb. vel capitales minas pertimescendo, & l. fin. C. jam d. tit. & l. Fulcinius* 7, §. 1, *vers. quid sit autem latitare D. Ex quib. causis in possess. eatur.* Quod tamen judex ex persona ipsius minantis æstimabit, cùm alii aliis tardiores sint ad exequendas minas. Panormit. *in c. penult. sup. De his quæ vi met. caus. & probat text. in l.* 3, *in fine D. Ex quib. caus. major.* Atque hinc, licet præ- 1
ceptum vel preces Regis sive Principis non inducant justum metum, *cap. fin. & ibi notant Glos. &* Panorm. *inf. Qui clerici vel voventes, l. Ad invidiam* 6, *C. De his quæ vi metusve caus. fiunt.* Fallit tamen in eo, qui solet tyrannicè persequi eos, qui præcepto vel precibus suis non obtemperant, *l. fin. C. d. tit.* And. Gail. *lib.* 1, *Obs.* 93, *num.* 20, *cum seq.* quò pertinet illud vulgare:

Est rogare Ducum species violenta jubendi.

Sed & hic non injuriâ quæritur, An metus re- 11
verentialis parentis impediat libertatem matrimonii? Statuamus filium vel filiam ideo in oblatum matrimonium consensisse, ne incurreret indignationem parentis. In quo duo à nobis casus distinguendi sunt. Unus est, si ipse parens nomine filii contrahat matrimonium, præsente tamen eodem filio, & non contradicente. Alter est, si ipsemet filius contrahat, patre volente, vel etiam cogente: ut priore casu matrimonium contra-

ctum valeat, quasi consensu ipsius filii tacitè accedente, *cap.1,§.porrò De desponsat impub lib.6, & per eundem text.* Panorm. *in c. Cùm virum 12, num 8 sup. De regularib.* & Covarr. *d p.2, cap.3,§.6. num 5, in fine.* Eleganter quin *d.§ porrò* non de matrimonio, sed de sponsalibus à parentibus contractis loquatur: utrobique tamen eadem ratio subest, cùm tam matrimonium, quàm sponsalia solo consensu contrahantur, *text. hic & in can. Sufficiat XXVII. qu. 2, l.4, l Sponsalia 11, & l fin. D. De sponsalib.* adeòque illa juris regula hic locum habeat: Qui tacet, consentire videtur, *c Qui tacet De reg. jur lib.6,* Cui etsi refragari videatur alia juris regula, videlicet, Is qui tacet, non fatetur, sed nec utique negare videtur, *c Is qui tacet eod tit. lib.6,* tamen in præsenti argumento priori regulæ magis standum esse dictat favor matrimonii, *cap fin sup. De sent & re jud.*

Et hinc vice versa sequitur, si constet filium propter reverentiam patris potiùs tacuisse, quàm consensisse, nullum esse matrimonium, uti rectè tradit Covarr. *jam d loco,* eò quòd hoc casu cesset consensus filii, qui alioqui ex eius taciturnitate præsumebatur; cùm in certis non sit locus conjecturæ sive præsumptioni, *l. Continuus 137, §. 2, in fine D. De verbor. oblig facit pro hac sententia text. in l. pen D. De furtis & in l.1,§ qui oneranda D. Quar. rerum actio non datur.*

Alterò verò casu, quando ipse filius matrimonium contrahit, propter reverentiam paternam, certi juris est, non impediri matrimonium, *per text. in l Si patre 22. D. De ritu nupt* Si patre (inquit Celsus Jurisc.) cogente ducit uxorem, quam non duceret, si sui arbitrii esset, contraxit tamen matrimonium, quod inter invitos non contrahitur: maluisse enim hoc videtur. Quod & probant Glos. *in can. Præsens Clericus in verb patronum quæst.3,* Panorm. *in c. Veniens 13, num.5, h.t &* Præposit. *hic,* ubi latè hanc quæstionem disputat: Et ratio est, quia cùm filius sam cogi non possit à patre ad ducendam uxorem, etiam de jure Civili, *l Non igitur 21, D De ritu nupt & l. Nec filium 12, C De nupt.* potiùs hæc reverentia adscribenda est vano timori, cujus ratio haberi non debet, *l Vani timoris D. De R.I.* nisi fortè verberibus aut alio justo metu cogeretur filius vel filia ad contrahendum matrimonium; tunc enim inutiliter contraherent matrimonium, propter læsam libertatem matrimonialis consensus, *c. Veniens 15, h t* prout suprà latiùs deductum est.

12 Præterea observandum est, metum, si ex præscripto juris alicui inferatur, non obesse matrimonio, neque alteri contractui, sicut elegantet respondit Paulus Jurisc *in l Similiter 21, in pr. D. De eo quod metus causa,* in liberta, quæ cum scireet se ingratam, & ob id de statu suo periclitaretur, patrono aliquid dedit vel promisit, ne in servitutem redigeretur. Nam, inquit Paulus, cessare edictum quod metus causâ, cùm non possit liberta allegare metum, eò quòd ipsa sibi hunc metum intulerit, perpetrando scilicet ea, quæ à jure revocationem servitutis merentur, ut est vel levis offensio liberti in patronum suum, *l 2, C De libertis & eor. liberis.* Quâ ratione valet quoque matrimonium, ubi is, qui virginem stupravit, mavult cum eadem contrahere matrimonium, quàm corporaliter castigari & detrudi in monasterium, juxta *text. in c.2, inf De adulter.* quo in stupratorem virginis hæc pœna constituta est, ut aut eam in uxorem ducat, aut castigatus corporaliter excommunicatusque in monasterium cogatur ad agendam pœnitentiam. Nam timor castigationis corporalis, quemadmodum & servitutis, etsi aliàs justum metum inferant, *l.4, & l.7, C De his qua vi metusve causa, & l.3, D. eod. tit.* non tamen ubi is timor à jure infertur. Unde idem est & in eo, qui justè captus à judice, ita quòd capite, vel animadversione corporali multandus esset, suggerit judici, de ducenda filia sua in uxorem, si impunitum se dimiserit: nam & eâdem ratione valebit hoc matrimonium, cùm & hoc casu reus sibi ipsi metum intulerit, flagitium committendo, quod hujusmodi pœnam meretur. At verò si privatus aliquis homicidæ, furi, adultero, vel in alio crimine deprehenso mortem sive vincula comminetur, nisi cum filia sua matrimonium ineat, matrimonium inde secutum nullius momenti erit: siquidem hic metus ab eo infertur, qui non poterat occidere, vel in vincula conjicere, sed solus judex. Et consequenter hic privatus rectè dicitur illi incussisse justum metum contrahendi matrimonii, *per text in l. Nec timor 7, vers. proinde D. De eo quod metus causa.*

Neque huic refragatur text. *in l. Accusationis 10 C. De his quæ vi metusve causa,* quo inter accusatorem & reum non valet datio sive promissio propter timorem accusationis institutæ vel instituendæ. Nam id non injustè fit, sed per viam transactionis, quæ permissa est inter partes in criminibus, quæ sanguinis pœnam ingerunt, *l. Transigere 18, C De transact.*

Ex

Ex eodem fonte & illud promanat, ut si metus suapte naturâ, vel etiam ab alio inferatur, veluti in eo, qui in articulo mortis constitutus matrimonium contrahit cum concubina sua, aliàs non contracturus: vel si te de vi hostium vel latronum defendi aut liberavi, & idcirco aliquid à te accepi, vel matrimonium contraxi: nam utrumque valet, propterea quòd hic metus non ab altero contrahentium inferatur, sed à Deo, sive ab alio tertio immittitur, *per text. in l. Metum 9 § sed licet D. De eo quod metus causa.* Idem accidere videmus in voto religionis emisso ab eo, qui in desperatione vitæ constitutus est: neque enim hoc votum irritatur propter imminentem mortem, *c. Sicut nobis 7. supra De regularibus.*

Et hæc hactenus de libertate consensus matrimonialis, quæ latiùs persequitur Covarr. *d. p. 2. cap. 3. § 4.*

Cæterùm ad speciem textus nostri redeundo, summus Pontifex hoc Cap. mandat Episcopo Papiensi, ut puellam, de cujus matrimonio disputabatur, loco honesto & tuto constituat, ne ipsi vis inferatur. Ex quo Glossa & Butrius hic hanc sententiam eruunt, quòd ad Judicem causæ spectet, providere, ut litigantes loco tuto sint, ne qua vis inter eos oriatur; alioqui, ut rectè addit Glos. posse ab eo appellari: si scil. requisitus hoc non faceret, *per textum in c. Ex parte 47 sup. De appellat.*

In Cap. Veniens 15.

SUMMARIA.

1. *Sponsalia de futuro secuta copula transeunt in matrimonium.*
2. *Sponsalia per subsequens matrimonium cum alia ipso jure dissolvuntur.*

TRia ex hoc Capite discimus. Primum est, quòd sponsalia de futuro secutâ copulâ cum sponsa transeant in matrimonium. Secus, si præcesserit copula, etiamsi ex ea nata sit proles, *per hunc text. nostr. & latiùs à me explicabitur, favente Deo, ad cap. Is qui fidem 30 inf. eod.* ubi & hujus rei rationem reddam.

Alterum est, quòd sponsalia per subsequens matrimonium cum alia ipso jure dissolvantur, etiamsi sponsalia jurata fuerint, *c. Sicut 22. & c. Si inter 31. hoc tit.* idque propter fortius vinculum, quod matrimonio inest. In matrimonio siquidem traditio corporum tacitè intervenit, quod non est in sponsalibus, quæ tantùm repromissionem futuri matrimonii continent, *l. 1. D. De sponsalib. facit text. in l. Quoties 15. C. De rei vindicat.* Ut hinc quoque notandum sit, matrimonium etiam à perjuro contractum valere, sicut & ab excommunicato, *c. Significasti & ibi* Panorm. *inf. De eo qui duxit in matrimon.*

Tertium est, quòd matrimonium justo metu contractum sit ipso jure nullum, etiamsi contrahens culpâ suâ in hunc metum inciderit, quemadmodum supra cap. proximo à me explicatum est.

In Cap. Commissum 16.

SUMMARIA.

1. *Qui juravit cum aliqua contrahere, si velit deinde Religionem ingredi, debet priùs contrahere.*
2. *Privata lex est Spiritus Sancti instinctus.*
3. *Posthumi Cujaciani auctoritas exaggeratur.*

1 SPecies facti hæc proponitur. Cùm quidam post sponsalia contracta jurejurando promisisset sponsæ suæ se intra biennium contracturum cum eadem matrimonium, sed is po-
2 stea ductus privitâ lege (* ita enim loquitur textus noster, per privatam legem intelligens instinctum Spiritus Sancti, *can. fin. XIX. quæst. 2. & cap. Licet 18. sup. De regularib.*) ad frugem melioris vitæ transire suspiraret, id est, cogitaret de monastica vita suscipienda; consultus eâ de re S. Pont. rescribit hoc cap. nostro, quòd tutiùs sit, ut priùs matrimonium contrahat, propter juramenti religionem. Deinde si ita ei visum fuerit, monasticam vitam ingrediatur; hac tamen adiectâ clausula, dummodò copula post sponsalia non intercesserit cum sponsa. Quæ clausula eò pertinet, ut, si copula intervenerit, ipse religionem monasticam ingredi non possit invita sponsa, cum qua propter huiusmodi copulam censetur son-

contractum & consummatum matrimonium, *c. 2. c. Ex publico 7 c. Ex parte 9. inf. De convers. conjugat.*

Mirum videtur, cur summus Pontifex hoc Cap. rescribat, matrimonium priùs contrahendum esse à sponso, cùm hic contractus planè inutilis videatur. Siquidem aperti juris est, matrimonio contracto, ante consummationem, quæ fit per copulam, permissum esse alteri contrahentium, invito etiam altero, Religionem ingredi, *jam dictis juribus.*

3 Quare Posthumus Cujacianus hîc existimat hunc contractum fieri magis dicis causâ, hoc est, tantùm ad speciem sive simulatè, quàm verè sive ex animo, ut hoc qualicumque connubio propter juramentum Deo satisfiat. Sed fallitur Posthumus, adeoque contumeliosè incurrit in summum Pontificem hujus textus auctorem, dum cautionem hanc de contrahendo priùs matrimonio vocat injuriosam, & adversus Majestatis providentiam. Similis ejusdem Posthumi calumnia est *in c. Debitores sup. De jurejur.*

Loquor de Posthumo Cujaciano, hoc est, de Recitationibus, sive commentario in libros Decretalium edito post mortem Cujacii, qui aut à malevolis in inprimendo corruptus est, aut contra Cujacii voluntatem prælo commissus & editus. Nam ipse Cujacius non solùm in privatis colloquiis, sed palam & publicè professus est sæpè, supremisque declaravit verbis, se nolle quidquam edi post mortem suam, præter tres libros posthumos Observationum, videlicet XXV. XXVI. & XXVII. sicut attestantur Thuanus, Puteanus, Oiselius, Faber, & Pithœus; quorum testimonium extat in Francofurt. editione Operum Cujacii, anno M.D.XCV. ita quòd hic Posthumus in Decretales, tum & alii, qui vulgò circumferuntur, non immeritò pro suspectis haberi possint. Quod obiter hîc insinuare volui, propter eos, qui imprimunt, vel studiosè legunt posthuma opera Cujacii viri alioquin celeberrimi; ut si quæ ibi reperiantur indigna, ea potiùs ab aliis malâ fide aspersa, quàm à tanto viro profecta existiment.

Cæterùm redeundo ad textum nostrum, alia multò & vera Innocentii sententia hæc est, quæ & communiter ab aliis recepta, teste Præposito, *in c. hoc nost. sub num. 3.* quòd cùm hic sponsus non deliberatò & firmiter secum statuerit Religionem ingredi, sed motu quodam conscientiæ impulsus tantummodò aspiraret, multaque subinde incidant, quæ remorari aliquem possent abingressu Religionis, ideo summum Pontificem hoc textu nostro rescripsisse, quòd tutiùs sit ipsi sponso, ut matrimonium priùs contrahat, ne illud extrahendo, biennii tempus elabatur, & perjurii crimen incurrat. Atque hanc esse veram sententiam indicat ipse textus, dum his verbis utitur: *Ad frugem melioris vitæ transire suspirat.* item dum ait: *Tutiùs est ei priùs contrahere, & postea, si elegerit, ad Religionem migrare.* Nam si certò sponsus constituisset Religionem ingredi, tunc rectè dici posset inutilem fore contractum matrimonii, ac proinde juramento non obstante sponsum ingredi posse Religionem, *secundùm* Innoc. *hic & confirmat textus in cap. 3 sup. De jurejur. & c. 4 sup. De voto.*

In Cap. Requisivit 17.

De hoc Capite egimus superiùs, ad *cap. Ex literis Silvani* 10.

In Cap. Cùm in Apostolica.

SUMMARIA.

1. *Litis pendentia super matrimonio non impedit contrahi secundum. si primum erat nullum.*
2. *Ratio hujus decisionis*
3. *Contrahens matrimonium credens impedimentum subesse an verè contrahat.*

1 Nota hic casum singularem, quo lite pendente innovatio admittitur, contra Tit. Decretalium & Cod. *Vt lite pendente nihil innovetur.* Cùm enim villicus quidam contra uxorem suam ad divortium, id est, separationem matrimonii ageret, fortè propter consanguinitatem vel affinitatem, & lite pendente contraxisset cum alia muliere hujus facti ignarâ, sententiaq; divortii postea promulgata fuisset inter illum & priorem conjugem: decidit hic summus Pontifex posterius matrimonium jure subsistere, eò quòd ex sententia divortii postea latâ compertum sit, prius matrimonium re ipsâ non valuisse. Interim villico pœnitentia imponi jubetur.

Hujus

2 Hujus decisionis ratio hæc quidem adfertur à Dd quòd matrimonium divini juris sit; pendentia verò litis (ut loquuntur) sit juris humani. At verò jus humanum non potest infringere ea, quæ sunt juris divini. Quæ certè ratio per se vera est, sed decisioni minimè convenit, cùm omnia ferè impedimenta matrimonii sint juris humani; & tamen negari non potest, quin hæc eadem impediant matrimonium, quod aliàs juris divini est, sicut infrà suis locis fusè explicabitur. Unde veriorem rationem hanc esse puto, quòd pendentia litis non sit justum impedimentum matrimonii dirimendi à sacris Canonibus introductum, ac proinde valet hujusmodi matrimonium pendente lite contractum. Nullibi enim recenseturinter impedimenta matrimonii. Atque idcirco stamus generali regulæ, quâ omnibus permissum est matrimonium, quibus à jure disertè non est interdictum, *c Cùm apud sedem 23 inf eod.* Quam regulam sequimur & in iis, qui contra præceptum Judicis Ecclesiastici ex causa prohibentis matrimonium contrahunt. Eo namque non obstante, nihilominus hoc est verum matrimonium, nisi aliud canonicum subsit impedimentum. Neque enim ob id dirimitur matrimonium, quòd contra mandatum Judicis contractum sit, ut patet ex toto tit. *De matrimonio contracto contra interdict Eccles* ubi & dicam latius.

Movet hic Panorm. quid juris sit, si villicus ille credidisset, matrimonium prius valuisse? Et 3
rectè respondet ex Vincentio, posterius matrimonium non valere quoad Deum, cùm non adhibuerit legitimum consensum, qui consistit in individua unius consuetudine, *c fin inf. De condit. appos* Unde pulchrè elicit hanc regulam Panorm. *hic in fine*, quòd contrahens matrimonium, si credat impedimentum subesse, quod tamen reverà non subest, frustrà contrahat matrimonium quoad Deum, licet expresserit verba contrahendo matrimonio apta. Eamdem tradit Mart. Navarr. *in Manuali c. 22. num. 56.* Secus verò est, quoad Ecclesiam sive forum exterius, in quo cùm de occultis nullum judicium sit, *c. unico sup. Vt Ecclesiast. benef sine diminut confer.* sequitur eum sensum Judex, quem verba contrahentium præseferunt, *c. Ex literis 7 sup. hoc tit.*

In Cap. In præsentia 19.

SUMMARIA.

1. *Mulier non certiorata de morte mariti contrahere matrimonium de novo non potest.*
2. *Probari mors debet, diuturna absentia mariti nihil juvante.*
3. *Certitudo quæ requiratur.*
4. *In dubio pro matrimonio respondendum.*
5. *Contractum posterius matrimonium absente redeunte dissolvendum est.*

1 Et Legans hujus Capitis decisio est. Nam in eo summus Pontifex rescribit Episcopo Cæsaraugustensi de mulieribus, quæ viros suos captivos vel peregrinantes, ultra septennium cum diligenti inquisitione præstolatæ, præ imbecillitate carnis se continere non potuerunt, atque idcirco se ad alias nuptias admitti petebant. Describit, inquam, eas matrimonium contrahere non posse, donec certum nuntium acceperint de morte maritorum suorum. Cujus hæc ratio reddi potest, quòd matrimonium inter Christianos semel legitimè contractum non nisi morte alterius conjugum, vel ingressu Religionis, ante tamen consummationem matrimonii dissolvatur, *c. penult. & ult. inf. De secund. nupt. c. 2. & c. Ex publ. 7. inf. De conver. conjug. & dicam latius inf. sub tit. De divort* propter hanc sententiam Christi: *Quod ergò Deus conjunxit, homo non separet*, &c. Matt. 19. *cap.* Non igitur absentia est justa causa dirimendi matrimonii, & alterum conjugem sibi adsciscendi. Probari verò debet mors coniugis absentis, antequam cum alia matrimonium iniri possit. Quippe mortuum esse in facto consistit, ac proinde non præsumitur, sed probari debet, *c. 1. De constitut. lib 6. & l 2. D De juris & facti ignor.* Quare nihil iuvat mulieres diuturna absentia maritorum suorum, neque imbecillitas carnis, quam obtendunt; cùm etiam aliis casibus sæpè accidat, ut innocens coniux usu matrimonii privetur, puta, si alter furiosus sit, aut aliter impotens factus: non enim ideo magis dissolvitur matrimonium, *can. Hi qui matrimonium cum c. seq. XXXII quæst. 7 & c fin. §. si autem de carnali, in fine sup. Vt lite non contest.*

Cæterum hic à Doctoribus quæritur, quæ & 2
quanta certitudo de morte absentis requiratur? Et quidem de iure Civili varia tempora constituta sunt. In capto ab hostibus, si incertum est, utrum maritus vivat, exspectatur quinquennium, *l. Vxores 6. D. De divort. & §. sed etiam captivitatis casus*

Novel.

Novel.22.de nupt. In profecto ad malitiam quadrienuium, *l.Vxor 7.C. De repud ex Iustiniani Novel.117 Vt licent matri & avia in § Quod autem à nobis*, ubi si uxor maritum in expeditione mortuum intelligit, permittitur ipsi adire Præfectum militum, ex quo ubi resciverit eum mortuum esse, jubetur adhuc exspectare per annum, antequam ad alias nuptias migrare possit.

Sed cum hoc casu de matrimonio dissolvendo & alio ineundo agatur, non stamus juris Civilis dispositioni, sed ad jus Canonicum recurrendum est, quo certus nuntius de morte absentis requiritur, isque sufficit, *per hunc text nost.* In quo tamen rectè addunt Butr. & Panorm *hic*, attendendam esse qualitatem nuntii. utrùm verisimilia argumenta sive indicia de morte absentis conjugis adferat; atque adeò rem totam volunt relinqui Judicis arbitrio qui certitudinem nuntii ex circumstantiis æstimabit: sicut aliàs fieri solet, quando res certò non est determinata à jure, ut tunc recurratur ad arbitrium Judicis, *per text in l 1.§ ait prætor D.De jure delib.in cap.fin sup. De transact. in cap. 4.sup. De officio & potest. jud deleg. & in c.Finem litibus 5. & ibi pulchrè notat Glos in fine sup. De dolo & contum.*

Quæ certè obtinent, ubi mulier petit licentiam nubendi ab Ecclesia, id est, Ecclesiastico Judice. Aliter si suâ sponte sive auctoritate jam nupserit. Tunc enim ut à peccato excusetur, satis est, si ipsa verisimiliter credat maritum absentem mortuum esse, per ea, quæ tradunt Butr. Præpositus *hic, & est textus in can Per bellicam XXXIV. quæst.2. & facit cap.fin. § si autem sup Vt lite non contest.* Nam si dubitet, tenebitur quidem secundo maritod ebitum conjugale reddere, ipsa verò exigere non poterit à marito. Neque enim secundus maritus contra legem conjugii debito suo privandus est, *l.Factum cuique suum D.De R.I.* neque illa contra sensum conscientiæ suæ ad exigendum debitum est admittenda, *cap Literas 12. verj porrò sup Deresitut spoliat cap fin sup De præscript.* nisi fortasse levis & temeraria esset uxoris addubitatio; quæ ex consilio Pastoris sui est deponenda, ut ita explosa hac dubitatione uxor liberè possit & reddere & exigere debitum, *per text.in cap Inquisitioni 44. inf. De sent excommunicat.*

Et hæc, quæ de absente marito dicta sunt, eadem locum habent in absente uxore. Quod enim ad fidem & conjugale debitum attinet, maritus & uxor pari passu ambulant, *can Præcipit, cum Apud nos, cum can fin. XXXII. quæst 5. vide latiùs* Præposit. *hic*, Navarr *in Manuali cap 22. num 53.* Sylvest *in V. Matrimonium; quæst.13.*

Ex quibus constat, in dubio semper pro matrimonio respondendum esse tamquam pro re favorabili, *c.fin sup. De sentent & re jud & inf. De contracto matrim.contra interdict. Eccles.* dum tamen de matrimonio contracto constet, sed aliquodimpedimentum canonicum subesse postea intelligatur. Adhibitâ tamen moderatione de exigendo & reddendo debitum conjugale, prout jam antè dictum est. Dixi, dum tamen de matrimonio contracto constet; nam utrùm matrimonium inter duos initum sit, in facto consistit, ac proinde quoque non præsumitur, sed probandum est, *c 1. in verb cum sint facti De constitut lib.6. & l.2 D.De juris & facti ignor.*

Sed hîc prætereundum non est, quocumque casu & tempore, altero conjuge absente, alter contraxerit matrimonium, & absens redierit, aut superstitem eum esse constiterit, posterius matrimonium statim dissolvendum esse, & prius restaurandum, *cap.1.inf De secund.nupt can.1.2 & can. Virgo XXXIV. quæst 2.* idque postulat prioris matrimonii indissolubilis nexus, qui nonnisi morte solvitur *c.1.& 1.ad Corinth.7.*

In Cap. Inter opera 20.

SUMMARIA.

1. *Meretricem uxorem ducens meretur apud Deum.*
2. *Maritus non cogitur uxorem adulteram recipere.*
3. *Meretrices cur tolerentur ab Ecclesia.*
4. *Reus mortis an absolvi possit, si meretricem uxorem ducat.*

EX hoc Cap. discimus, non tantùm permissum esse matrimonium, cum publica meretrice; sed etiam ducentem ob id mereri apud Deum. Quippe opus est charitatis spiritualis, errantem reducere in viam veritatis, *can.Tria sunt, dist.45.* Quare idem erit in uxore adultera, si maritus eam in consortium suum revocet, impediendi adulterii causa: † quamvis alioquin maritus non cogatur adulteram uxorem recipere, etiâ 1 2

pœni-

pœnitentem, *c.* 3, *& ibi Gl.* Panorm. Zabarel. *&* Anan. *inf* De *adulter.* cùm ex adulterio uxoris semel marito jus quæsitum sit, videlicet ut eam non teneatur recipere vel etiam retinere; quod ei invito auferendum non est, *ult. in fine D. De pact. & l. Id quod nostrum* D. De R. I.

3 Quod autem Dd. nostri ex hoc textu colligunt, meretrices ideo ab Ecclesia tolerari, ad evitanda scil. majora mala, puta stupra, adulteria, incestus, nititur vulgari hoc axiomate: Ex duobus malis, id quod minimum est eligendum, *cap. Duo mala, ibi* D. *d. distin.* 13, Non tamen idcircò excusantur à peccato meretrices, etiamsi causam paupertatis obtrudant, ut etiam dictum suprà. Nam, ut eleganter inquit Ulpianus Jurisc. non est ignoscendum ei, qui obtentu paupertatis turpissimam vitam elegit, *l Palam* 43, D. *De ritu nupt.* Uti nec illi à peccato excusantur, qui cum ipsis congrediuntur, *per text. in can. Meretrices & can. Nemo sibi blandiatur* XXXII. *q* 4.

4 Hic quæstio incidit, An reus ad mortem condemnatus ideo liberari possit, quòd publicam meretricem in uxorem petat? Sunt qui existimant, per textum nostrum. Et sic in Hispania aliquando usurpatum fuisse refert Ant Gomez. *Variar resolut. tomo* 3, *cap.* 13, *num* 37, *vers. Quintus casus.* Idem consuetudine Franciæ receptum esse tradit And Tiraquel. *in tract. De Pœnis causa* 56, qui tamen non de meretrice, sed de puella simpliciter loquitur, additque ibidem ex Barth. Chassanæo hanc rationem, quòd per matrimonium major reo videatur pœna imponi, quam per mortem, propter malitiam mulierum. In meretrice verò hanc adfert rationem Ant. Gomez. *jam citato loco*, ut scilicet hoc modo meretrix revocetur à via perditionis ad vitam salutis. Sed negat Gomezius hoc observari in Ducatu Mediolanensi, quemadmodum & Tyraq. in Gallia, licet ignoret, an illud olim fuerit observatum. Et testatur idem Gomez. Petrum de Bernia aliquando hac de re consultum Andegavis de quodam fure petito per meretricem, respondisse, eumdem furem non relaxandum, sed laqueo strangulandum esse: & ita factum fuisse.

Neque obstat textus noster hic; quia non inquit, talem reum dimittendum esse impunitum, sed ducenti meretricem proficere hoc opus in remissionem peccatorum, quemadmodum & alia charitatis opera. Nam pœnam in exteriore foro hac de causa remittere pugnat cum Reipublicæ utilitate, nec fit sine præjudicio partis læsæ. Sed neque hæc sententia jure probatur, imò magis adversari videtur *l Commissum* 17, *C. Ad L. Iul de adult* Quamvis Emmanuel Soarez *in annotat ad citatum locum Gomezii*, existimet eam aliquâ ratione & æquitate niti, ut hac de causa reus liberetur: cujus tamen contrarium ego magis æquum esse existimo; licet ubi moribus recepta est, non putem ab ea esse recedendum.

In Cap. Ad id 21.

SUMMARIA.

1. *Matrimonium metu contractum convalescit per spontaneam cohabitationem.*
2. *Item per subsequentem copulam.*

1 EX hoc Cap. intelliguntur plenius ea, quæ *sup. eod. ad c. Cum locum* latè disseruimus de matrimonio justo metu contracto; quòd licet ipso jure nullum sit, tamen convalescit per spontaneam utriusque cohabitationem, quâ metus ille purgatur, tacito scilicet succedente consensu. Sed facti speciem unà cum decisione breviter proponamus. Mulier quædam cùm coacta contraxisset matrimonium, & postea per sesquiannum cohabitasset viro suo, tandem eum deseruit, & uterque tam vir quàm mulier alienos concubitus sectatus est; post hæc allegabat mulier, quòd invita illi juncta fuisset, & proinde petebat se ab eo separari. Quæsitum est, quid juris; Et respondit hoc textu nostro *S.* Pontifex, quòd, etsi ab initio mulier invita tradita fuerit viro, quia tamen postmodum per sesquiannum ei cohabitaverit, censeatur hoc ipso in eum consensisse, atque idcirco eam compellendam esse, ut ad virum suum redeat: neque testes audiri oportere, si quos mulier producere velit ad probandum, quòd in eumdem virum non consenserit, cùm mora tanti temporis hujusmodi probationem excludat. Jubet præterea utrique imponi pœnitentiam propter adulterium utrimque admissum.

Itaque hoc textu nostro consensus, qui antea vi extortus fuit, transit in liberum consensum

per cohabitationem subsequentem. Eo enim ipso, quod mulier metum passa à viro non discedit, præsumitur consentire. Unde non inscitè Glossa hic.

Effuge cum poteris ne consensisse puteris,
Nam si perstiteris, illius uxor eris.

Et quamvis hic textus meminerit sesquianni, quo sibi invicem cohabitaverunt: id tamen magis ad factum, quàm ad jus referendum est; cùm sufficiat vel momento temporis spontaneam cohabitationem accessisse, ex sententia Butrii & Panorm. hic. Idque judex æstimabit ex quantitate moræ & fugiendi opportunitate. *Idem* Panorm *& communiter Dd. teste* Præposito *hic, quem vide latius* Simile est in promissione per vim præstita, quæ & per liberam solutionem subsequentem tacitè purgatur, *l. 2, C. De eo quod metus caus.*

Sed & hoc jure nostro hujusmodi metus purgatur per subsequentem copulam, *per text. in c. 1, juncta ibid. Gl. inf. De eo qui duxit in matrim. & in c. Insuper 4, inf. Qui matrimon. accus. poss.* 3

In Cap. Sicut ex literis 22.

SUMMARIA.

1. *Sponsalia de futuro etiam jurata solvuntur per sponsalia de præsenti.*
2. *Sponsalia jurata an derogent simplicibus?*

1 EX hoc Cap. apertè evincitur, sponsalia de futuro (ut Dd. nostri loquuntur) etiam jurata solvi per sponsalia de præsenti, id est, per matrimonium subsequens solo etiam consensu initum. Secus, si utraque sponsalia sint de futuro, quâ specie prioribus standum est, *per hunc tex. nostr. & in c. penult. inf. eod.* Illius ratio est, quòd fortius vinculum insit matrimonio, propter traditionem corporum, quæ tacitè intercedit in matrimonio, non verò in sponsalibus, *arg. l. Quoties 15, C. De rei vindicat.* Unde fit, ut si utraque sint sponsalia de futuro, prioribus non derogetur per posteriora, cùm in utrisque similis promissio sit.

2 Sed quæstionis est, de duobus sponsalibus, quorum priora fuerunt simplicia, posteriora jurata, utrùm posteriora hæc propter juramentum præferri debeant? Quod non existimat Inno. *hic*, quem & probat Panormit. generalem hanc regulam inde eliciens, quod juramentum non valeat contra promissionem alteri factam etiam simpliciter, id est absque juramento: nullam tamen hujus rationem reddunt. Ego verò hanc esse puto, quod scilicet peccetis, qui fidem etiam simpliciter datam fallit, *cap. 1, & cap. 3, sup. De pactis.* Grave est, inquit Ulpianus, fidem fallere, *l. 1, in princ. D. De constit. pecun.* At verò si posteriora sponsalia prioribus simplicibus potiora essent, ita quod sponsus posterioribus juratis insistere cogeretur contra fidem datam in prioribus, juramentum esset viculum iniquitatis, *contra text. in cap. Quanto 18, vers. si falsam sup. De jurejur. & can. Inter cætera XXII. q. 4.* Est præterea aperta juris regula, toties juramentum servandum esse, quoties non redundat in alterius præjudicium, nec vergit in dispendium salutis æternæ, *cap. Cum contingat 28, sup. De jurejur. &c. Quamvis de pactis lib. 6.* At verò hoc juramentum vergit in alterius detrimentum, & redundat in dispendium ipsius sponsi, secundò contrahendo sponsalia jurata.

In Cap. Cum apud 23.

SUMMARIA.

1. *Matrimonii contractus est edicti prohibitorii.*
2. *Mutus & surdus non prohibentur matrimonium contrahere.*
3. *An mutus ac surdus à nativitate.*

1 HOc Cap. consultus summus Pont. de muto & surdo, utrùm matrimonium contrahere possint, rescribit, eos posse, eò quod matrimonii contractus sit edicti prohibitorii, hoc est, quod omnes matrimonium contrahere possint, qui à jure nō prohibentur: quâ loquendi phrasi usus est Paulus Jurisc. *inl. Mutus 43, in princ. D. De procuratorib.* ubi & procuratoris dationem refert ad edictum prohibitorium. * Nullo verò jure prohibetur 2

hibetur matrimonium contrahere surdus & mutus.

Neque impedit, quod non possit animi sui sensum verbis exprimere; cum sufficiat vel signis voluntatem suam explicasse in matrimonio, quod solo contrahentium consensu constat, *text. hic & in c. Tua fraternitati 25, h. t.* Proinde etiam per literas, sive procuratorem matrimonium rectè contrahitur, *c fin De procurat. lib. 6*, Idem evenit & in reliquis contractibus, qui solo consensu inuntur, ut, quoquo modo consensus ille exprimatur, sufficiat ad constituendum contractum, velùti in emptione, locatione, & similibus, *l. 2, D. De action. & oblig & tit. Instit De obligat ex consensu.* Ubi tamen per literas vel per procuratorem contrahitur matrimonium, necesse est, ut idem consensus duret, donec alterius consensus accesserit, quod in dubio præsumitur. Secus, si mittentis consensus revocatus sive mutatus doceatur, etiam ignorante nuntio sive procuratore. Hoc enim casu nihil efficiet consensus ejus, ad quem mittitur matrimonii causâ, eò quod in mittente jam consensus defecerit, sine quo consistere non potest matrimonium, *d. c fin.*

Ex his quoque patet, idem juris esse in cæco, muto & surdo simul à nativitate, cùm nec hic 3
ullo jure prohibeatur, dum tamen consensum suum signis exprimat Hostien *hic*, quod prudens judex æstimabit. Et quod addit Hostiens. vel hac de re consulendum esse Principem, id est, summum Pontificem, sicut factum est in specie hujus cap nostri, id frustraneum esse opinor; cùm hoc textu nostro præscriptam regulam habeamus, quod quilibet matrimonium possit contrahere, qui non prohibetur Vide quæ latiùs dicam *inf ad d c. Tua fraternitati.*

In Cap. Dilectus 24.

SUMMARIA.

1. *Furiosus non contrahit matrimonium.*
2. *Nisi tempore intermissi furoris*
3. *Quid si mulier furore recedente consentiat in matrimonium.*

1 QUia furiosus nullum negotium rectè gerit, quod non intelligat, quid agat, *§ furiosus Instit De inutilib stipulat. & l 5, D. De R. I.* ideo nec ad contrahendum matrimonium admittitur, *per hunc text. & in can. Neque furiosus* XXXII. *q. 7*, quamvis antea legitimè contractum matrimonium retineant, *d. can Neque furiosus & l. Patre furioso 8, D De his qui sunt sui vel alieni jur.* sicut & dignitatem, magistratum, dominium rerum suarum, *l qui furore 20, D. De statu hom.* & patriam potestatem in liberos suos, *d. l. Patre furioso.* Unde rectè hoc textu nostro mulier, quæ cum viro furioso matrimonium contraxerat, jubetur disjungi, cùm in matrimonio contrahendo consensus requiratur, *c Tua nes 26, in fine h t.* qui interponi non potest ab eo, qui non intelligit, ut est furiosus, *d. § furiosus.* * Cæterùm tempore inter-
2 missi furoris furiosum matrimonium contrahere posse nemini dubium est, ita quod furor superveniens matrimonium minimè convellat, *§ præterea vers. nam neque testamenta Instit. Quib. non est permis facere testam.*

Objicit hic Bernard. quomodo fieri possit, ut quis sanæ mentis contrahat cum furioso, quod alioquin hominis stulti est? Sed rectè respondet, id fieri posse eo tempore, quo furiosus est constitutus in conspectu inumbratæ quietis, ut loquitur Celsus Jurisc *in l. Quod meo 18, § si furioso D. De acquir vel amit. possess.* hoc est, quo umbram sive speciem præ se fert sanæ mentis, cùm interim reverà furiosus sit:

Quærit præterea, si eadem mulier furore rece- 3
dente consentiat in eumdem virum, an verum sit matrimonium? Et respondet, non videri sibi, ex sententia Joannis antiqui Interpretis, eo quod desideretur furiosi consensus, & sic non sit mutuus consensus. Igitur necesse est consensus novus ab utroque exprimatur verbis vel aliis signis. Quare idem erit, si à furioso tempore intermissi furoris ratum habeatur matrimonium in furore à se contractum, nisi etiam mulier simul eodem tempore consentiat, ut rectè censet Hostiens. *hic.* Nam, inquit, consensus est duorum vel plurium sensus in idem & eodem tempore habitus; & probat textus, *in l 1, D. De pactis.*

In Cap. Tuæ fraternitati 25.

SUMMARIA.

1. *Ad matrimonium an sint necessaria verba consensum exprimentia.*

2. *Verba non requiruntur ad essentiam matrimonii.*
3. *Verba in matrimonio quomodo & cur necessaria.*

HÆc Decretalis multos perplexos retinet, cur summus Pont. rogatus, an solis verbis, & quibus matrimonium contraheretur, responderit, ad matrimonium, quod verè contrahitur legitimo consensu viri & mulieris, necessaria esse, quantum ad Ecclesiam, verba consensum exprimentia; licet in surdis & mutis sufficiat sine verbis consensum exprimi.

Igitur text. noster videtur præcisè requirere verba in iis, qui loqui possunt: at in aliis, qui loqui non possunt, sufficere signa exteriora. Qua in sententia sunt Glossa & Innoc. hic, & alii Interpretes, citati ab Henrico Bohic, & Præposito, *ad c hoc nostr.* Immò addit Innoc. quòd etiamsi constaret ex confessione contrahentium, eos antè consensisse in matrimonium, nec tamen verbis consensum suum explicaverint, non ideò tamen dici posse matrimonium, eò quòd Ecclesia ita prudenter statuerit, ne tantum Sacramentum in incerto versaretur; & ad vitandam absurditatem, quæ aliàs hinc oriri posset, veluti in viro & muliere, fortè in itinere constitutis, & sibi invicem matrimonialiter conjungi tacitè desiderantibus. Periculi enim plena esset hæc res, si diceremus, hoc solo consensu tacito contrahi matrimonium; sed necesse est verbis consensus exprimatur. Hæc verò multo aliter obtinere patet ex iis, quæ sequuntur. * Verba enim non requiri
2 necessariò & quasi ad essentiam matrimonii, constat etiam ex quàm pluribus aliis casibus, quibus scil. jure nostro ipso facto matrimonium contrahitur, etiam ab iis, qui loqui possunt; ut in matrimonio, quod justo metu contractum, & idcircò ipso jure nullum, convalescit tacito consensu novo per cohabitationem spontaneam, vel subquentem copulam, *cap Ad id 21, & ibi latiùs dixi, sup. eod.* Item sponsalia per concubitum sponsi cum sponsa transeunt in matrimonium ipso facto, nullis etiam verbis matrimonialibus adhibitis, *cap. Is qui fidem 30, hoc tit. & cap. Per tuas 6, inf. De condit appos. & in cap. Aliud 11, sup. De præsumpt.*

3 Nec movet textus noster, dum in loqui valentibus verba necessariò requirit: nam addit, *quantum ad Ecclesiam*, id est, quantum ad probationem coram Ecclesiastico judice faciendam. Nam constare judici non potest de matrimonio, nisi antea verba aliqua antecesserint, vel in ipso contractu matrimonii intervenerint, quæ matrimonii mentionem & significationem aliquam faciant. Unde enim Ecclesia sive judex æstimabit, si signum, quo contractum matrimonium dicitur, non appareat aliquatenus verbis contrahentium, sive patris pro liberis suis, sive Sacerdotis, sive alterius interrogantis contrahentes, utrùm placeat contrahere matrimonium? Nisi fortè tale signum esset, quod ex consuetudine loci non nisi inter contrahentes matrimonium edi vel exhiberi solet. Quo sensu puto Hostiensis, Panorm. & Dd. recentiorum sententiam communiter receptam, exaudiri posse, dum asserunt, satis esse, quòd appareat de consensu per signa etiam in loqui valentibus, sicut testatur idem Panormit. *hic.*

Neque impedit ratio Innoc. dum vult ita statutum esse ab Ecclesia, ut verba interveniant: nàm hoc ipsi probandum est, juxta illud Justiniani: Erubescimus sine lege loqui, *in §. considerantes Nov. de triente & semisse.*

Et quod attinet ad absurditatem illam, respondetur, solum internum consensum non sufficere ad matrimonium contrahendum, nisi & is verbis, vel alio indicio exprimatur: nam contractus concursum utriusque contrahentium requirit, *l. 1, De pact.* qui dici non potest concurrere, si alter mentem alterius ignoret. Idque eo magis apud Christianos obtinet, quòd matrimonium sit sacramentum. Sacramentum verò est invisibilis gratiæ visibile signum, *can. Sacrificium 31, de consec. dist. 2*, Ergò necesse est, & hunc consensum matrimonialem visibili aliquo signo exprimi.

Itaque ad probandum matrimonium verbis opus est, aut signo aliquo consueto sive indubitabili, quòd verbis æquipollet, *per text. in l. Quoties 9, § sinomen D. De hæred. instit.* ut ita judex devenire possit in veram cognitionem matrimonii contracti, prout suprà explicatum est. Et cùm *in d. cap. Ad id, & in d. cap. Is qui fidem & in d. cap. Per tuas & in d. cap. Illud*, agatur de præsumpto matrimonio, non est, quòd de hoc laboret judex, ut aliam probationem requirat, cùm sufficiat eam prædictis casibus ab ipso jure induci.

***

IN

In Cap. Tua nos 26.

SUMMARIA.

1. *Matrimonium simulatum est nullum.*
2. *Idq; in foro interiori seu conscientiæ.*
3. *An in foro exteriori ex verbis simulatis matrimonium elici possit?*
4. *Matrimonium constat substantiâ & formâ.*
5. *In matrimonio qualiter solus consensus sufficiat.*

CUm quidam mulierem amaret, nec ab ea concubitum extorquere posset, nisi eamdem priùs desponsaret, scilicet de præsenti, affinxit sibi nomen aliquod, puta *Ioannis*, cùm propriè vocaretur *Petrus*, & tandem hac verborum formulâ usus, *Te Ioannes desponsat*, impetravit concubitum: usus inquam, non animo contrahendi matrimonium, sed ut eam dolo induceret. Qua de re consultus S. Pontifex, rescribit hoc textu nostro, nullum inter eos contractum esse matrimonium: cùm in eo, ait, nec substantia conjugalis contractus, nec forma contrahendi con-
1 jugii valeat inveniri. * Igitur simulatum est conjugium, & consequenter nullius momenti, *l Simulata* 30, *D De ritu nuptiar.* Quod & in cæteris contractibus obtinet, ut in iis scil. potiùs spectemus, quod re ipsâ agitur, quàm quod simulatè concipitur, *uti est in Cod tit. Plus valere quod agitur, &c.*

Et certè cùm hæc verba prolata sint, nullâ ad-
2 hibitâ solemnitate, vel alicujus præsentiâ, ut loquitur textus, non potest aliter accipi S. Pontificis rescriptum, quàm de foro interiori sive conscientiæ; cùm in hoc foro soli confessioni sterur, nullâque aliâ probatione opus sit. Quæ & Panorm. sententia est. At in foro exteriore, partis pro se confessio non admittitur, sed probatione adimplenda est, cùm Ecclesia non judicet de occultis, *cap. unico sup. Vt Ecclesiast. benef. sine diminut. conferantur.*

Sed constituamus hanc quæstionem in foro
3 exteriore agitari: An videlicet his verbis, *Te Ioannes desponsat*, cùm is propriè Petrus vocetur, idque constet ex confessione partium, censeatur matrimonium contraxisse? Quod putant Glossa & Panorm hic, cùm de persona loquentis certò constet At nihil interest, quocumque modo quis se vocet, dummodò ejus persona certa sit, *per text in § si quidem in nomine, Instit. De legat. l. In venditionibus* 9, *D. De contrah empt.* ut & in præsenti casu nostro.

Sed contrà magis puto, quòd etiam in exteriore foro nihilo magis ex prædictis verbis matrimonium elici & probari possit, cùm hæc mutatio nominis fraudulenter facta sit ad extorquendum illicitum concubitum, non ad contrahendum matrimonium: quod ex eo liquet, quòd nomen suum sibi affinxerit, decipiendi, non seriò agendi causâ. Cur enim non proprium nomen expressit? An proprii nominis ignorationem obtrudere possit? minimè, cùm hominis supini, imò magis stulti sit, nomen proprium ignorare, *ut loquitur textus in l fin C De hared instit* Non igitur hoc casu, etiam in foro exteriore, pro matrimonio judicari potest

Neque obstant textus *in d § si quidem in nomine,* 4
& d l In venditionib. quia, ut rectè vult Præpositus hic, procedunt in errore nominis alterius, cujus tamen persona certa est; non autem in personâ propriâ, cujus nominis ignorantiam prætendere nemo potest, nisi stultus.

Unde concludo, ex mutatione nominis proprii induci non posse, matrimonium contractum esse, ac si proprium nomen expressisset, etiamsi de persona constet Pænâ tamen stupri in eum animadvertitur, si honesta sit mulier, *juxta §. item lex Iul de adult. vers pœnam Instit. De publ. jud.* aut si civiliter agatur, cogitur eam, si virgo sit, dotare & ducere in uxorem, juxta præscriptum Juris Canonici *in cap 1, inf De adult.*

Nota ex hoc textu nostro, matrimonium ex duobus constare, substantiâ & formâ. Per substantiam intellige materiam, quæ est consensus conjugalis: formam verba vel signa, quibus ipse consensus exprimitur, *ut hic post Glos notat.* Panorm. *& Navar. in Manuali c 22, n. 20, & consil 1, De sponsalib. & matrim.* licet hac in re non conveniant Theologi, sicut videre est apud Bellarm. *tomo 3, controvers de Matrim Sacram cap. 6.*

Nec tamen idcirco minùs verè dicitur, quòd in matrimonio solus consensus sufficiat, *ex can. Sufficiat* XXVII *q. 2, c Cùm locum* 14, *&c Tua fraternitas* 25, *h. tit.* quia accipimus consensum, prout verbis vel signo expressus est, ut rectè monet Panorm. *hic in fine,* cùm ea, quæ mente reti-

 nentur,

nentur, & non exprimuntur, nullum effectum juris habeant, *per text in l. Si repetendi 7, C. De condict. ob caus* quod & suprà ad cap. proximum attigimus adversus Innocent.

In Cap. Cum in tua 27.

Vide quæ dixi ad c. Præterea 12, suprà eod.

In Cap. Consultationi 28.

SUMMARIA.

1. *Metus in muliere quantus requiratur.*
2. *Metus etiam minor in muliere justus censetur.*

AGitur hoc Cap. de mulieribus, quæ in valvis Ecclesiæ per Sacerdotem benedicendæ, obtendunt se minimè consensisse in matrimonium. Has respondet textus noster minimè audiendas esse, si sponsus legitimè, id est, per testes, aut per instrumentum contrarium probaverit.

Item agitur de illis, quæ jam benedictione perceptâ à sponsis aufugiunt, nondum subsecutâ carnis copulâ, asserentes, se quidem expressis verbis matrimonium contraxisse, sed reverà animo dissensisse, propter metum adhibitum. Et has respondet meritò audiri oportere, & cognosci, utrùm talis metus sit, qui potest cadere in constantem virum. Ita textus noster, qui tamen non addit, an propter talem metum matrimonium pronuntiandum sit esse nullum. Proinde hic locus supplendus est, *ex c. Cum locum 14, h. t.* & quæ ibidem retulimus, videlicet, ejusmodi matrimonium ipso jure esse nullum.

Quod adjicit textus, *ante carnis copulam subsecutam*, eum sensum habet, ut, si copula subsecuta fuerit, matrimonium propter metum retractari non debeat, utpote jam metu purgato per spontaneam copulam, sicut comprobavimus in *c. Ad id 21, sup eod.*

Cæterùm oritur hic difficultas, cùm inquit textus, diligenter inquirendum esse, utrùm tali metu mulieres perculsæ fuerint, qui potest cadere in constantem virum. * Cùm rationi non
1 videatur consonum, utidem metus in muliere, qui in viro requiratur cùm hic constantior sit, altera inconstantior naturâ suâ, *c. Forus 10, versic. natura inf. De verb. signif.* nam & hinc mulieres propter imbecillitatem sexus juvantur Senatusconsulto Velleiano, non viri, *l. 2, & passim toto tit. D. Ad S. C. Velleianum.*

Atque hinc Glossa *add c. Cum locum*, existimat
2 minorem metum videri justum in muliere, quàm in viro, quam ibidem notandam censent Panormit. & Præposit. atque à plurimis commendatam tradit Navar. *in Manuali c. 22, n. 51*, tum eam memorabilem vocat *in consil. 10, n. 3, De iis quæ vi metusve causa.* Eamdem probant & alii apud Did. Covarr *in hunc lib. IV. Decretal p. 2, c. 3, §. 14, n. 16, per text in can Indignantur XXXII. q. 6, & facit text in cap Sicut 6, in pr. inf. De homicid.* Unde monet Covarr judicem, ne tam anxiè metum æstimet in muliere, quàm in viro, sed consideret, quid fæmina constans faceret, inspectâ scilicet naturali fæminarum constantia. Aliquid enim (inquit) cogeret fæminam etiam constantem ad eligendum id, quod vir constans minimè eligeret.

Quocirca & Panorm. & Butr. hic voculam, *Virum*, in fine textus nostri adjectam omittunt, quasi in eorum libris nulla viri mentio fiat, sed tantùm loquatur de metu, qui potuit cadere in constantem, sive is vir sit, sive mulier. Quibus tamen impressi libri refragantur, & deinde Præpos. hic hanc eamdem lectionem nostram sequitur. Ne autem ipse à Glossæ & aliorum sententiâ temerè discessisse videatur, putat in textu nostro subaudiendum esse, in constantem virum, vel mulierem constantem, aut sub nomine viri comprehendi etiam mulierem, sicut sub masculino continetur etiam fæmininum, idque absurditatis vitandæ causâ: quod & rectè dicitur à Præposito.

In Cap. Gemma 29.

SUMMARIA.

1. *Matrimonia adjectione pœnæ arctari non debent.*
2. *Licet pœna etiam modica promittatur.*
3. *Stipulatio pœnalis an matrimonium contractum infirmet?*

4. *Arrha*

4. *Arrha an licitè sponsalibus adjiciantur.*
5. *Cur potiùs arrha, quàm pœnalis stipulatio?*
6. *Arrha quanta promitti possit.*
7. *Conditio*, si arbitratu Titii nupserit, *afficit libertatem matrimonii.*
8. *An & hæc*, si non nupserit?
9. *Rejicitur in virgine & vidua.*
10. *Quid de hac*, Si Mævia non nupserit neque Seio, neque Sempronio? &c.
11. *Quid si ita legatum sit*, Titio centum lego, ita ut Mæviam in uxorem ducat?

1 ELegans h. Cap. decisio est. Cùm enim filia Gemmæ mulieris sponsalia contraxisset cum Bernardi filio, & stipulatio pœnalis adjecta esset inter ipsos parentes, puta centum vel mille vel alterius quantitatis, si quis eorum nuptiis impedimento fuisset, & postea eadem filia alteri cuidam nupsisset, videbatur commissa stipulatio pœnalis ex parte ipsius Gemmæ. Unde hac de re aditus S. Pont. respondit hoc textu nostro, pœnam adjectam minimè deberi, ideò quòd libera debeant esse matrimonia. Idem in simili facti specie respondit Paulus Jurisc. *in l. Titia* 139, *D De verb. oblig.* eamdem rationem adferens: quia inhonestum visum est, inquit, vinculo pœnæ matrimonia obstringi sive futura sive contracta.

Et quamvis hoc nostro textu filia ipsius Gemmæ & Bernardi filius nondum septennium implevissent, quòd aliàs in sponsalibus contrahendis requiritur, *cap. 4, & cap fin inf. tit prox* & subsequenter ex hoc capite non videatur valere adjecta pœnalis stipulatio, eò quòd accessorium non subsistat deficiente principali, *l. Non dubium* 5, *C De legib. l. Cùm principalis D De R. I &c. Accessorium eod tit in* 6, Hujus tamen ætatis nullam rationem hîc dedit S. Pontifex, quòd de ea rogatus non erat, aut fortè ipsi majores facti eadem sponsalia expressis verbis, vel tacitè, id est facto, veluti per mutuam suam cohabitationem, sive per alios actus inter sponsos usitatos rata & firma habuerant, *c unico in pr. De desponsat impub lib.* 6, sed tantùm respicit libertatem matrimonii, quæ adjectione pœnæ arctari non potest, sicut rectè hic animadvertit Panor. & planiùs constat ex *d. l Titia.* Quæ certè magis obtinent, si inter ipsum sponsum & sponsam pœnalis stipulatio subdita sit sponsalibus, eò quòd hac specie magis constringatur matrimonii libertas, sicut per se liquet, & ex frequentiori Dd. sententia tradit Panorm. *hic n.* 9.

Neque interest, qualiscumq; pœna etiam modica promittatur, uti ex recepta Panor. & Bartoli sententia, docet Covarr. *in* 4, *lib. Decretal. p* 1, *c.* 3, *n.* 7, *in fine.* Nec enim jura aliquam moderationem constituunt circa hanc pœnam, quæ odiosa est, præsertim in materia matrimoniali, quæ favorabilis est, *cap. fin sup. De sentent. & rejud.* Ac proinde sufficit in eo contrahendo vel minima suspicio constringendæ libertatis matrimonialis: quippe pœnæ, cùm odiosæ sint, restringi debent, *cap. Odia De R. I.* 2

Sed constituamus, matrimonium nihilominus contractum esse, anne propter adjectam stipulationem pœnalem inter sponsos vel eorum parentes infirmum erit matrimonium? Minimè verò; cùm hic metus stipulationis pœnalis non sit justus ac proinde non infirmat matrimonii contractum: sicut latè docuimus *ad cap. Cum locum* 14, *sup sup. eod* Sed ideo matrimonium contrahitur, ne si unus non paruerit stipulationi, in ipsam pœnam incidat, eoque nomine lis ipsi moveatur coram judice. 3

Movent hic Interpretes de arrhis, quæ interdum sponsalibus adjiciuntur. Est autem arrha, quòd a sponso sponsæ datur, vel è contrà a sponsa sponso in argumentum contractorum inter se sponsalium, & est veluti pignus contrahendi matrimonii, *l.* 3, *& l fin. C De sponsalib* unde etiam arrha sponsalitia dicitur *in l. Si iugibus* 16. *C. De Episcopali and.* Atque hæc, si nuptiæ secutæ fuerint, à dante rectè repetitur, quasi contracto matrimonio sine causâ sit apud recipientem, *per text. in l. Ex empto* 11, *§ is qui vina D. De action empti*, nisi fortè aliud consuetudine loci receptum esset; quâ dubium non est juri scripto derogari posse, *cap. fin. sup. De consuet. & l. De quib.* 32, *in fine D. De legib.* Ubi verò matrimonium secutum non est inter sponsos, tum si per dantem steterit, arrha amittitur; si per recipientem, duplum vel etiam quadruplum, si ita conventum sit, restituitur, *d l fin Cod. De spons* Et has arrhas utroque jure licitas esse in sponsalibus & matrimoniis probant textus *in can. Si quis uxorem cum can seq.* xxv 1. *quæst* 2, *in can Nostrates, in can Femina* xxx *quæst.* 5, *& in d l. fin.* tametsi Glossa hic quoad Jus Canonicum addubitet. Neque interest, arrha in quantitate, an in specie, id est, in corpore detur, quemadmodum ex Præposito, Baldo, & aliis rectè tradit Covarr. 4

d. cap.

d.cap 3,n 9, & rectè, cùm arrha nihil aliud significet, quàm sponsalia, sive matrimonium contractum esse, quod æquè per quantitatem & per speciem fieri potest, & probat textus *in d. l. Ex empto § is qui vina.*

5 Cæterùm laborant Interpretes, cur in sponsalibus arrha permittatur, non verò pœnalis stipulatio: cùm non minùs propter timorem amittendæ arrhæ, vel ejus restituendæ in duplum, vel in quadruplum, juxta decisionem *d l fin. Cod. De sponsalib.* videatur obstringi libertas matrimonii, quàm per adjectionem pœnalis stipulationis, quæ hoc textu nostro prohibita est, *& d. l Titia D De verb. obligat.* Et quidem Glossa hic videtur distinguere, inter jus civile & Canonicum, quòd illo jure arrhæ permissæ sint, non verò de jure Canonico. Sed hæc meritò rejicitur ab Hostiensi, eò quòd nullibi jure Canonico arrha improbata sit, imò eam & jure Canonico admissam esse suprà comprobavimus. Quare ipse hanc diversitatis rationem adfert, quòd arrha tradatur; sed in traditione rei suæ potest quis eam legem imponere, quam vult *l. Traditionib. De pact.* Quod non est in stipulatione pœnæ, in qua nihil traditur. Verùm hæc ratio nihil evincit, cùm non minùs in arrhâ adhuc remaneat in dante metus eam amittendi, & in recipiente eam restituendi in duplo vel in quadruplo.

Idem Hostiensis, *in Summa sua*, aliam hujus rei rationem adducit, quòd scil. pœnalis stipulatio odiosa sit, arrha verò favorabilis Siquidem illa est signum matrimonii non secuti; arrha verò contrahendi matrimonii, quod favorabile est, *cap fin sup De sentent. & re jud.* at verò odia restringenda sunt. & favores ampliandi, *cap. Odia De R. I. in 6*, Verùm nec hæc ratio quidquam efficit, quia etsi arrha favorabilis sit propter matrimonium favorabile, non tamen negari potest, quin & in arrhæ datione pœna tacitè comprehendatur, tam respectu dantis, quàm recipientis. Nam dans sine justa causa matrimonium subterfugiat, arrham amittit; recipiens in duplum vel quadruplum, si ita conventum sit, punitur, *d. l fin.* Unde metu hujus pœnæ non minùs videtur coarctari matrimonii libertas, quàm per pœnalem stipulationem, contra rationem textus nostri *& in d. l. Titia.*

Bartolus *in d l. Titia n 4*, hanc rationem comminiscitur, quòd pœna amittendæ arrhæ, vel restituendæ legalis sit, hoc est, à lege permissa Ergò eâ licitè uti possumus, *l. Si ita stipulatio facta fuerit 19, D. De verb. obligat.* at altera illa conventionalis est, & improbata à jure Sed hæc ratio Bartoli non explicat, quare potiùs in arrha pœna permissa sit, quàm in altera illa conventionali, cùm tamen utrobique videatur lædi libertas matrimonii contrahendi.

Joannes Andreæ *hic n. 9*, ideo diversum putat in arrha, quòd hæc tradatur ipso facto, pœna autem promittatur, at verò faciliores sumus ad promittendum quàm ad dandum. Et hanc rationem communiter receptam testatur idem Joannes Andr. & Aretin. *in apostilla hic ad Panorm.* pro qua adducit textum insignem *in l. Sed si ego 4, in fine D Ad SC. Velleian.* Adfert & hanc rationem Joan. Andr. quòd pæna solet promitti in magna quantitate: quam tamen æstimari vult ex quantitate arrhæ & qualitate personarum, cùm scribat se vidisse arrhas quatuor millium librarum. Si enim pauper det magnas arrhas, quis dubitat (inquit) per hoc impediri libertatem matrimonii? Econtra est inter locupletes, ut in his magna arrha non facilè infringat matrimonii libertatem. Et hæc ratio, quæ omnium verissima est, placeque Panormitano *hic n. 8.*

Neque obstat, quòd textus simpliciter loquatur *in d l. fin. C. De sponsal.* de arrha amittenda vel 6
restituenda in duplum vel in quadruplum; quasi cujuscumque quantitatis arrha inter sponsos & eorum parentes sit promissa. Nam, ut rectè respondet, ex sententia Panorm. *hic*, in lege non tam verba ejus inspicienda, quàm ratio, cui lex innititur, *l Non dubium 6, in pr. C De legib. &c. Certum est De R I. in 6*, Certum est, inquit, quod is committit in legem, qui legis verba complectens contra legis nititur voluntatem. At verò si cujuscumque quantitatis arrha permitteretur inter sponsos, sæpè accidere posset, ut quis non spontè, sed metu amittendæ vel restituendæ arrhæ adigeretur ad matrimonium contrahendum, cùm *in d l finali in fine*, apertè dicat textus, quòd in contrahendis nuptiis libera potestas esse debeat. Quare hac in re rectè spectantur quantitas arrhæ, & personarum qualitas, maximè accipientis arrham, propter pœnam dupli vel quadrupli. In pœnali verò stipulatione ne minima quidem quantitas permittitur, quòd hæc planè odiosa sit, atque idcirco nullâ interpretatione molliri & transferri debet ad certas personas *d. c. Odia De R. I. in 6*, Sicut & superiore lectione meminimus.

Atque hæc pertinent ad verum & genuinum 7
intel-

intellectum *l. Cùm tale legatum* 71. §. *si arbitratu D. De condit. & demonstrat.* ubi respondet Papinianus: legatum Sejæ relictum, *si arbitratu Titii nupserit*, etiam eo casu deberi, quo sine arbitratu Titii nupserit; cùm hæc conditio afficiat libertatem matrimonii contrahendi, ac proinde rejicienda sit. Secus tamen est in hac conditione adjecta, si ex consilio Titii nupserit: nam sufficit hoc casu consilium requisivisse, etiamsi parere non cogatur, *per text. in c. Olim 7. sup. De arbitris.*

8 Item pertinet ad interpretationem §. Mæviæ ejusdem *l. Cum tale legatum*: Mæviæ (inquit textus) *si non nupserit*, fundum, cùm morietur, lego, vel etiam simpliciter, *si non nupserit lego*, ob eamdem enim rationem rejicitur conditio, ita quòd legatum purum remaneat. Unde & idem omninò censendum est, si his verbis legatum relictum fuerit, si cum consensu matris, curatoris, vel alterius nupserit, *per text. in d. § si arbitratu & ibi latius vide* Emmanuel à Costa *in 8 limitat.* Hodie tamen ex Novella Justiniani constitutione hæc conditio, *si non nupserit*, adjecta legato relicto à viro uxori suæ, vel econtrà ab uxore viro suo, sive etiam ab alio extraneo, non rejicitur, atque idcirco si ea nupserit, aufertur ab ea legatum, *per text. in Auth. Cui relictum C. De indicta viduit. tollenda, quæ desumpta est ex Novella Iustiniani 22. de nupt. §. quæ verò nunc sequitur.*

9 Rejicitur verò in virgine, secundùm ea, quæ jam dicta sunt, juxta Joannem, Azonem, & communem Dd. sententiam, prout attestatur *additio ad Gl. in d. Auth. Cui relictum.* Et ratio in vidua est, quòd hæc nubendo contristet animam defuncti mariti sui. Ita Justinianus *in d. §. quæ verò nunc*, quæ ratio cessat in virgine.

Neque movet ratio Irnerii *in Gl. ejusdem Auth. Cui relictum*, quòd scilicet hæc conditio, *si non nupserit*, magis rejicienda sit in virgine, quàm in vidua; cùm beatior sit status virginum, quàm conjugum, *can. Nuptiæ* XXXII *quæst.* 1. *& 1 ad Corinth.* 7 ubi his verbis inquit D. Paulus: *Igitur & qui matrimonio jungit virginem suam benè facit, & qui non jungit, meliùs facit.* Quia respondetur ex sententia Salyceti, *add. Auth. Cui relictum*, quòd odiosa, sive potiùs minùs laudabilis sit in vidua repetitio secundarum nuptiarum, *per text. in § solutum, & in §. si autem tutela d. Novell. de nupt. & in can. Quomodo* XXXI. *quæst.* 1. quàm in virgine, cujus matrimonium vel ab ipso D. Paulo comprobatur, *jam d. loco*, ubi etiam addit, beatiorem esse viduam, si non nubat, quàm si nubat.

Sed & diversum statuitur in legato, *Si Mævia* 10 *non nupserit Titio, neque Sejo, neque Sempronio*, aut si plures eâdem conditione comprehensi sint: nam legatum Mævia amittit, si cuilibet eorum nupserit, *l. Cùm ita 63. cum l. seq. D. De condit. & demonstrat.* dum tamen alteri, qui comprehensus non est, honestè nubere possit, aliàs secus, *d. l. Cùm ita, cum l. seq.* nam quæ honestè à nobis fieri non possunt, impossibilia judicantur, ex responso Papiniani, *in l. Filius 15. D. De conditionib. institut.* Responsi verba hæc sunt: Quæ enim lædunt pietatem, existimationem, verecundiam nostram, & (ut generaliter dicam) quæ contra bonos mores fiunt, nec facere nos posse credendum est. Quare ob hanc rationem Papiniani, si nulla alia esset persona honesta, meritò rejiceretur hæc conditio tamquam impossibilis, sive turpis: &, eâ non obstante, posset Mævia cum Sejo vel cum Sempronio, vel cum alio, qui à testatore prohibitus est, liberè & licitè nubere, *l. Conditiones 9. D. De condit. instit.*

Item diversum statuitur, si hoc modo legatum 11
sit, *Titio centum lego, ita ut Mæviam in uxorem ducat.* Nam hâc specie non tam aufertur libertas matrimonii contrahendi, quàm lucri spe invitatur Titius ad contrahendum cum Mævia matrimonium, *per text. in l. Titio centum 71. §. 1. D. De condit. & demonst.* Aliter obtinet, si quis pecuniam promittat, si Mæviam uxorem non duxerit, *per hunc text. nost. & in d. §. 1.* ubi hæc ratio redditur, quòd aliud sit eligendi matrimonii (inquit textus) pœnæ metu libertatem auferri, aliud ad matrimonium certâ lege invitari.

Et hæc eadem obtinent non tantùm in legatis, sed & in institutionibus, sub similibus conditionibus relictis, cùm utrobique eadem sit ratio, *l. Illud 31. in princ. D. Ad L. Aquil. & facit text. in l. Servo invito 65 § si testatore D. Ad S. C. Treb.*

In Cap. Is qui fidem 30.

SUMMARIA.

1 *Sponsalia de futuro per subsequentem copulam transeunt in matrimonium.*

2 *Matrimonium hoc dicitur præsumptum.*

3. *Idque præsumptione juris & de jure.*
4. *Et obtinet, licet sponsa ante copulam cum alio fornicata fuerit.*
5. *An idem obtineat in sponsalibus incertis?*
6. *Copula verè intercesserit necesse est.*
7. *Obtinent hæc in foro exteriori, non etiam interiori.*
8. *Matrimonium præsumptum abrogatum per Concilium Tridentinum.*

1 CElebre hoc Cap est, quo tradit summus Pontifex sponsalia propriè dicta, hoc est, quæ de futuro appellamus, transire in matrimonium per subsequentem corporum commixtionem inter sponsum & sponsam. Idque verum est, si loquamur de sponsalibus verè contractis, sive quæ juris interpretatione inducuntur, veluti ex matrimonio contracto inter duos impuberes, vel inter puberem & impuberem: nam cùm inter hos consistere non possit matrimonium contractum, propter defectum ætatis, *cap. 2. cap. A nobis 8. inf De despons. impub cap 2 inf De frigid. & malef.* interpretatione tamen juris resolvuntur in sponsalia, *cap. unico §. idem quoque De despons. impub. lib. 6.* haberque locum hæc juris regula, Si non valet ut ago, valeat ut valere potest, *ex l. Si tam angusti 13 D. De servitut & ex l. 3. D. De testament. Idem probat textus in cap Veniens 5. circa fin hoc tit. & in cap. 3. & in cap. 6. inf De condit. appos.* Dixi, per subsequentem commixtionem; nam si solummodò ea præcessit, sponsalia tantùm erunt, non matrimonium, *d. cap. Veniens.*

Ratio verò hujus textus nostri est, quòd sacri Canones præsumant non aliâ mente sponsum & sponsam in carnalem copulam convenire, quàm affectu conjugali, propter præcedentia sponsalia: ut enim in dubiis semper benigniora præferenda sunt, *l. Semper in dubiis 56. D. De R. I.* ita rationi maximè convenit, ad avertendam suspicionem stupri vel fornicationis inter sponsum & sponsam, ut potiùs præsumatur congredi affectu matrimoniali: juxta juris regulam, quâ monemur, ut ea, quæ dubium est, quo animo fiant, in meliorem partem interpretemur, *c. 1. inf. De regul jur.* nec enim in obscuro præsumptio delicti capi debet, *l. Meritò 51. D. Prosocio & l. Quintus 51. D. De donat. inter vir & uxor* nisi tale factum esset, quod per se sive naturâ suâ malum est, ut est homicidium, convicium, & id genus alia delicta. In his enim præsumitur dolus, donec contrarium probetur, id est, dolum abfuisse, *per text in l. 1. Cod Ad L. Cornel de sicar. & in l. Si non convicii 5. C. De injur.* Panormit. & Felin. *ad c. 1. sup. De præsumpt.* Sed redeamus ad textum nostrum.

2 Hoc igitur matrimonium, quod exsurgit ex concubitu sponsi vel sponsæ, præsumptum dicitur, tantique effectus est, ut etiam secundum matrimonium, si quod fortasse ab iis vel ab altero postea cum alio contractum est, etiam solemniter & adhibitâ carnis copulâ, omninò infirmum & irritum reddat. Præterea eam vim habet, ut, quamvis præsumptum sit, contrariam tamen probationem non admittat, hoc est, permitti non debet sponso & sponsæ, ut probent se non animo conjugali, sed fornicario coivisse, *per hunc textum nostrum.*

Unde hanc præsumptionem vocant Dd. nostri præsumptionem juris & de jure, eo quòd in ea se fundet, tamquam in re planè sibi exploratâ. Cujus & exempla extant in jure Civili, *in l. ult. in fine C. Ad SC. Macedon. in l. Antiquæ 3. circa princ & in l. fin. in pr. C. Arbitrium tutelæ.* Aliud verò est in præsumptionibus juris tantùm, quæ admittunt probationem in contrarium. Exempla sunt *in l. Sichirographum 24. D. De probat. in l. Non est verisimile 23. D. De eo quod met causa, in l. Licet Imperator 77. De legat. 1 in cap Quia verisimile 10. sup Depræsumpt.* aliaque infinita in utroque jure. Extat & hujus rei exemplum insigne *in l. In libera 24. D. De ritu nuptiar.* quia ex consuetudine liberæ & honestæ mulieris nuptiæ præsumuntur: sed hæc præsumptio solius juris Civilis est, non sacrorum Canonum, quo hæc præsumptio cessat, *propter can Aliter xxx. quæst. 5. & notat* Bald. *ad d. l. In libera, quod inf suo loco latiùs explicabitur.*

4 Atque hæc, quæ de præsumpto matrimonio diximus, adeò obtinent, etiamsi post sponsalia ante copulam ipsa sponsa cum alio fornicata fuerit, deinde verò sponsus cum ea concubuerit: nihilominus hic posterior concubitus matrimonium efficiet, sicut rectè tradit Did. Covarr. *in hunc lib p. 1. c. 4. §. 1 num. 11.* Nam licet propter fornicationem dissolvantur sponsalia, *c. Quemadmodum, 25. sup. De jure jur.* id tamen non fit ipso jure, sed petente sponso, cujus interest, cuique injuria est irrogata per sponsam, Nam aut scivit sponsus stuprum sive fornicationem sponsæ suæ; & hoc casu censetur sponsus tacitè ignovisse sponsæ suæ, quasi dissimulatione jam sublata sit injuria, *d. c. Quemadmodum in princ.*

5 Existimat quoque idem Covarr. *d loco num 25.* idem juris esse in sponsalibus incertis, veluti, si quis promiserit, vel juraverit, se ducturum unam ex tri-

ex tribus sororibus, & postea unam ex iis cognoscat. Videtur enim & hoc casu affectu conjugali eam cognovisse, ne inducantur illiciti inter eos concubitus. Nec enim concubitus ullus extra matrimonium permissus est, *can. Nemo blandiatur & can Meretrices* XXXII. *quæst.* 4. Quod & communi calculo receptum tradit idem Covarr.

Cæterùm non satis perspicio, quomodo hæc sententia defendi possit. Etenim erroneum est, asserere, sponsalia cum tribus illis sororibus antè præcessisse, cùm inter duos tantùm sponsalia rectè contrahantur, sicut & matrimonium, cujus sponsalia initia sunt, *l. Oratio* 16 *D. De sponsal.* Cùm ergò nulla præcesserint sponsalia, dici quoque non potest, eadem per concubitum transivisse in matrimonium, de quo in præsenti argumento loquimur, juxta decisionem textus nostri.

Nec movet dicta ratio Covarr. quòd videlicet vi promissionis juratæ videatur affectu conjugali unam ex tribus cognovisse, quia hoc incertum est, & nullo jure proditum: neque enim cum qua concubuit, sponsa fuit, propterea quòd sponsalia inter eos antea non intercesserint. Quare magis existimo, ex sententia Glossæ *ad Ex literis Sylvani* 10. *hoc tit. nost.* quam, teste eodem Covarr. ibidem sequuntur Joannes Andreæ, Antonius, Henricus, & Cardinalis, cessare hoc casu præsumptum matrimonium, licet Judex officio suo debeat compellere hunc virum, ut cognitam in uxorem ducat, quod alienum non est, *d. cap.* 1. *& cap.* 2. *inf. De adult.*

6 Est autem animadvertendum circa hoc matrimonium præsumptum, ut copula verè intercesserit: nec enim sufficit attentatio sive nisus copulæ, cùm conatus non habuerit effectum, ut loquitur text. *in cap. fin. hoc tit. Similis text. est in l.* 1. *in fine D. Quod quisque juris, &c.*

Atque hæc exaudienda sunt in foro exteriori: 7
secus verò in foro interiore sive conscientiæ, in quo cessat omnis præsumptio, & statur soli veritati, *cap. Tua nos* 26. *hoc tit.* Quo fit, ut, si in concubitu sponsi & sponsæ non concurrat simul interior consensus coniugalis, non oriatur inter eos verum matrimonium, sed stuprum sive fornicatio; quia matrimonium absque consensu coniugali contrahi non potest, *d. cap. Tua nos, & ibi latiùs dixi.* In foro verò exteriore statur præsumptioni textus nostri, adeò etiamsi protestatio sponsi & sponsæ, vel alterius eorum antecesserit copulam, quòd non velit coniugali affectu, sed fornicario commisceri, nihilo enim minùs huic præsumptioni standum erit, quasi per copulam subsequentem ab hac protestatione recesserint, sicut fit in conditione adiectâ sponsalibus; puta, ducam te in uxorem, si pater tuus consenserit, vel, si decem dederis. Nam per subsequentem copulam censetur uterque à conditione recessisse, *c. Super eo* 5 *cum cap. seq. inf. De condit. appos.* Quod & comprobat communis opinio apud Covarr. *d. loco num.* 26.

Hîc tamen negligendum non est, quòd recen- 8
tiore iure introduxit *Concilium Trident. Sess.* 24. *c.* 1. *§. qui aliter De reformat. matrim.* quo infirmatur sive abrogatur hoc matrimonium præsumptum iis in locis, ubi idem Concilium promulgatum est, sicut latius dicetur *inf. De clandest. desponsat.*

In Cap. penult.

SUMMARIA.

1. *Sponsalia de præsenti non solvuntur per aliud subsequens matrimonium.*
2. *Secus sponsalia de futuro.*

1 SEntentia huius Capitis plana est, quâ docemur, sponsalia de præsenti, subaudi consensu coniugali contracta, non solvi per subsequens aliud matrimonium cum alio aliáve contractum, etiamsi hoc matrimonium copula carnali consummatum sit. Ratio est indissolubile vinculum prioris matrimonii, quod & solo consensu constat, *can. Cum initiatur cum can. seq.* XXVII. *quæst.* 2. *can. Quos Deus* XXXIII. *quæst.* 3. † Aliud verò est in 2
sponsalibus propriè dictis, quæ de futuro appellantur, quæ per subsequens matrimonium dissolvuntur, etiamsi iurata sint, *c. Sicut ex literis* 22. *& ibi latiùs dixi, sup. hoc nostro tit.*

IN TIT. II. DE DESPONSATIONE IMPUBERUM.

AGitur hoc Titulo de ætate eorum, qui sponsalia vel matrimonium contrahere possunt. In quo explicando eo breviores erimus, quòd pleraque huc pertinentia superiore Titulo exposita sunt.

In Cap. primum.

SUMMARIA.

1. *Impuberes ex matrimonio à patre contracto quatenus obligentur.*
2. *An ex debito honestatis, non necessitatis?*
3. *Filia sine consensu patris contrahens an rectè exheredetur?*
4. *An pater teneatur dotare eamdem filiam?*
5. *Duobus conjunctim requisitis non sufficit alterum implere.*
6. *Quid si filia indigno marito nupserit?*

1 HOoc Cap. iisdem penè verbis extat *in can. 2 XXXII. quæst 2.* unde videtur huc translatum. Sententia verò ejus hæc est, quòd pater pro filio pubere matrimonium contrahens, nihil agat, nisi filius consentiat. Pro impubere eatenus valet matrimonium, ut hic pubes factus ratum habere debeat matrimonium. Prioris membri ratio hæc est, quòd in matrimonio contrahendo consensus eorum exigatur, de quorum conjunctione agitur, *c. 23 c. 25. & 26 sup tit prox. l 2. D De ritu nupt & l Nec filium 12 C. De nupt* Posterioris verò ratio est, quòd pater contrahendo pro filio impubere, cujus voluntas decerni non potest, & sic nondum intelligit, quid agat, *cap. Tua 25 in fine sup tit prox* censeatur ipsi idoneam uxorem delegisse: ut proinde filius pubes factus matrimonium ratum habere debeat.

Sed huic videtur obstare textus *in cap. unico §. porrò De desponsat impub lib. 6.* ubi ex sponsalibus contractis à parentibus, filii tam impuberes quàm puberes non aliter obligantur, quàm si & ipsi consenserint expressè vel tacitè. At hoc textu nostro dicitur obligari impuberes ex matrimonio à patre, suo nomine contracto, ita quòd is ad pubertatem veniens debeat matrimonium adimplere. Neque enim ulla ratio diversitatis dari potest, cur textus *in d § porrò*, de sponsalibus loquens, non idem in matrimonio obtineat.

Sed respondet Bernard. quem & sequitur Panorm. & Glossa *hic*, quòd verbum *debet*, in fine textus nostri positum, exaudiendum sit de debito honestatis, non necessitatis, hoc est, quòd honestas quidem postulet, ne filius à patre dissentiat, non autem necessitate obstringatur filius ad probandum matrimonium à patre contractum. Id. 1 que suadet subjecta materia, quæ est de matrimonio, quod voluntati, non necessitati subjicitur, *cap Cùm locum 14 & ibi latiùs explicavimus sup. tit prox & text in d l Nec filium* Vel rectiùs dici potest, filio quidem impuberi hanc necessitatem injici, ut pubes factus teneatur patris factum approbare; sed ita tamen, nisi justam causam habeat reluctandi, ut quia uxorem sibi datam aversatur: solent enim invitæ nuptiæ difficiles habere exitus, *cap Ex literis Sylvani 10. juncto cap. Requisivit 17. sup De sponsal* Quæ solutio videtur magis convenire textui nostro: alioqui non perspicio, cur textus noster differentiam constituat inter puberem & impuberem, cùm & in pubere honestum censeatur, ne reclamet voluntati patris matrimonium pro se contrahentis, cui aliàs de jure gentium parere tenetur, *l. 1 in fine cum l seq D. De just & jure.* Quapropter Præpositus hic priorem Bernardi & Panormit. sententiam non sine causa improbat.

Quærunt hic Dd. An si filia sine consensu patris matrimonium contrahat, possit eam pater exhæredare? Et valere hujusmodi matrimonium liberorum invitis parentibus contractum, probat textus *in c penult. inf. De nupt. in cap Pertuas 6 inf. De condition appos. in cap Veniens 13 sup. De sponsalib Concil Trident. Sess 24. cap. 1. in princ in decreto de reformat. matrim. & Carolus V. in declaratione facta in Comitiis Augustanis Anno 1548. sub tit De Sacramento matrimonii, circa finem.* Sed an ea de causa filium vel etiam filiam exhæredare possit pater quæstionis est? Quod existimat Godofredus, teste Panorm. *hic per text. in § aliud quæ cap. capitulii vers. si aliqui Novel.* 5

Vt cum

Vt cum de appellat. cognosc. Verùm hujus sententia communi calculo reprobatur, teste Panorm *hic, num.* 5, nisi filia turpem virum elegerit, aut turpior erat victura, si non contraxisset matrimoniũ. Sic enim legendum puto, non, *vitam*, ut habent Hostiensis & Panorm. *hic.* Sed nec hæc restrictio defendi potest, cùm inter causas exhæredationis non numeretur à Justiniano, *in d Nov. Vt cum de appel. §. aliud quoque capitulum.* Etenim Justinianus loquitur tunc exhæredari filiam posse, quando hæc volentibus parentibus eam matrimonio collocare & dotare, non assentitur, sed mavult luxuriosè vivere: hanc enim dignam exhæredatione censet, non quæ absque consensu parentum nupta est, de qua est nostra disputatio. Unde certiùs est, filiam ea de causa exhæredari non posse à parentibus. *Vide quæ tradit* Covarr. *in* 4, *Decretal parte* 2, *cap* 3, *§* 8, *num.* 5.

4 Altera quæstio est de dote, An scilicet pater teneatur dotare filiam suam, quæ absque eius consensu nupsit? De qua major inter Dd. contentio est, sicut videre est apud Covarr *d p.* 2, *c.* 3, *§.* 8, *num* 5, *&* And. Gail. *lib* 2, *obser.* 95, Sed breviter rem complectendo, puto patrem compelli posse ad dotandam eamdem filiam: siquidem ex juris præscripto ad id tenetur, *per text. in l fin C. De dotis promiss. & in l Qui liberos* 19, *D. De ritu nupt.* Idque verius & receptius esse apud Dd. tradit And. Gail. *d. obser.* 95, *num.* 10.

5 Nec movet, quòd absque consensu ejus nupserit, quia id fecit jure permittente, sicut proxima quæstione comprobavimus. At verò quod legitimè fit, pœnam non meretur, *l. Gracchus* 4, *C. Ad L. Iul de adult.* nec dolo facit, qui jure suo utitur, *l. Nullus videtur D. De R. I.* Deinde non debet auferri filiæ libertas matrimonii contrahendi propter metum amittendæ dotis, quæ sibi auctoritate juris debetur, *per text. in l Titio centum* 70, *§* 1, *D. De condit. & demonstr. & per ea, quæ dixi ad c. Gemma sup. tit prox.*

Nec etiam movet, quòd ideò mulieri detur dos, ut facilius maritum inveniat, *l* 1, *& l* 2, *D. De jure dot.* atque hinc reperto marito, filia non amplius indigeat dote, *cap. Cum cessante* 20, *in pr sup. De appellat.* Nam respondetur, patrem ad duo obligari, ad elocandam scil. filiam suam matrimonio, & ad eamdem dotandam, *d. l. Qui liberos, & d. l fin.* Licet igitur primum impletum sit facto ipsius filiæ, nihilominus alterum implendum restat, ut scilicet à patre dotetur, quod & post matrimonium contractum fieri potest, ad sustinenda onera matrimonii, *§. est & aliud Instit. De donat. & l penult. C. De donat. ante nupt. l. Pro onerib. C. De jure dot.* † Ubi enim duo conjunctim requiruntur, non sufficit alterum impleri, *l Si hæredi* 5, *D. De cond. institut. & §. si plures Instit. De hæred. instit.* Gail. *d Obser.* 95, *num.* 5, Covarr *d §* 8, *num* 7, ubi & hanc communiter receptam tradit ex Curtio juniore, Ripa, & Parisio.

Quod tamen non aliter procedere contendunt, 6
quàm si filia digno marito nupserit, non verò si indigno. Idque ob injuriam hoc casu patri illatam, propter ignominiosas nuptias, *l.* 3, *§ si manciparus D. De bonorum poss. ff contra tabul.* In quo tamen subsisto. Etenim video secundùm Canones promiscuè cum quolibet permitti matrimonium, dummodò à jure non sit prohibitus, *c. Cum apud sedem* 23, *sup tit prox.* etiam cum infamibus personis, *c. Inter opera* 10, *sup jam d tit. & cap fin. inf. D. raptor.* Non igitur ob hoc privari dote sua debet filia, quæ jure suo utitur. Unde magis puto, distinguendum non esse, digno an indigno nupserit filia. Hoc tamen temperamento adiecto, ut, si indigno nupserit, minor ipsi dos, quàm si digno nupsisset, assignetur à patre, cum dos pro qualitate patris & mariti constituenda sit, *l Quæro* 61, *& l. Cum post* 70, *§. gener D. De jure dot.* Idem sentit Joan. ab Imola *in c. Accedens num.* 9 *sup. De procurator.*

Cæterum Carolus V. in constitutione sive declaratione sua *sup citata in fine* videtur hanc rem reliquisse arbitrio judicis ordinarii; cuius verba Latinè à me reddita hic liber subiicere: Utrum autem parentes, inquit, casu quo liberi absque consilio & consensu eorum matrimonium contrahunt, eos per retentionem hæreditatis, vel ut minimum per diminutionem dotis, & aliis modis punire possint, ordinarii judicis erit hac in re, quantum conveniet, statuere.

Itaque non potest pater exhæredare filiam suam, vel dotem ei planè subtrahere, si nuptias absque eius consensu contraxerit, sed judex id arbitrabitur, prout judicabit convenire: inspecta scilicet indignitate mariti, contumacia filiæ, sive etiam ipsius patris, qui fortè æquè indigno eam matrimonio collocare volebat, vel nimium protrahebat filiæ matrimonium. Hæc enim & si quæ alia eiusdem generis sunt, considerabit judex, non tantum in filia, sed & in filio nuptias contrahente.

Statuto verò Bavarico expressè cautum est, si filius ante vicesimum ætatis suæ annum, & filia

ante vicesimum quintum annum ætatis suæ matrimonium contraxerit, absque voluntate & consensu parentum suorum, quòd non teneantur parentes, donec vixerint, constituere ipsis dotem, vel donationem propter nuptias. His verò mortuis succedunt tales unâ cum aliis liberis in hæreditatem eorum: neque ob id exhæredari possunt, quòd suâ sponte contraxerint. Extat hoc statutum in reformatione statutorum, *sub. tit. de hæreditatib. art* 4.

In Cap. Vbi non est 2. & Cap. Puberes 3.

SUMMARIA.

1. *Pubertas à quo ætatis anno incipiat.*
2. *Ætas matrimonii an à jure prorogari possit?*

1 IN matrimonio contrahendo de jure Civili requiritur pubertas, quæ evenit in masculo decimo quarto ætatis anno completo, in fæminâ duodecimo, *tit Inst. Quib mod tut fin. in pr. l fin C. Quando tutores vel curat. esse des.* Idem est de jure Canonico, *per hunc text nostr in c. Conturbantur 6, & in cap. Attestationes 10. h. tit.* nisi quòd id discriminis sit, quòd Jus Canonicum ex annorum numero pubertatem non metiatur, sed ex corporis habitu: ut is scil. pubes dicatur, qui generare potest, etiam si prædictum annorum numerum nõ impleverit, vel non attigerit, *text hic in c. 3, & in c fin. inf. De eo qui cognovit consang.* Refert ex Gregorio Glossa Juris Canonici *in summa* xx. *qu.* 1, puerum quemdam novem annorum nutricem suam impræguâsse. Tradit & Henricus Bohic, *hic ad c.* 3, se vidisse Parisiis coram Officiali civem quemdam Parisiensem conquerentem de famulo suo, quòd filiæ octo annorum virginitatem eripuisset. Quare in his, qui ætatem à jure Civili præscriptam corporis habitu antevertunt, solet dici, quòd malitia sive prudentia supplear ætatem, scilicet juris civilis, sicut & in delictis dolo admissis à minore dicimus malitiam ætatem supplere, *l.* 3, *C. Si minor se majorem dix.* ideoque non excusatur, sed punitur tamquam major factus, *c.* 1, *inf. De delictis pueror. §. in summa Instit. De obl quæ ex delict nasc. & l. Si ex causa* 9, *§. nunc videndum* D. *De minorib.* nisi quatenus interdum miseratio ætatis ad mediocrem pœnam judicem perduxerit, *ut loquitur text. in l Auxilium* 36, *§. in delictis* D. *De minorib. de quo latius* Ant. Gomezius *Var. resol tomo* 3, *c.* 1, *num* 6, *cum num seq.*

2 Hinc disputationis est, An sicut ætas matrimonii à jure Civili constituta præveniri potest, ut jam dictum est, ita quoque possit prorogari; puta si Titius post decimum quartum annum completum nondum idoneus factus sit ad carnalem copulam, & hic nihilominus matrimonium contraxerit, an hoc matrimonium subsistat? Negat Glossa *hic ad c.* 3, *per eumdem text.* Inquit enim apertè textus, puberem eum esse, qui ex habitu pubertatem ostendit, & generare jam potest. Glossam videntur sequi hic Præpos. & Panormit. si rigor juris inspiciatur. Communiter tamen Dd. ab hac Glossæ sententia discedunt, contrarium asserentes, quòd scil. valeat hoc matrimonium, sicut testatur idem Panormit. *hic.* Ex quo enim quis legitimam ætatem à jure constitutam habet, nec apparet impedimentum perpetuum, rectè contrahit matrimonium, *probat text. hic in c.* 2 *in V legibus, & facit text. in c Laudabilem* 5, *inf. De frigidis & malef.* Aliàs sequeretur, quòd neque infirmi matrimonium inire possint, si propter morbum impotentes sint ad copulam. Quod certè absurdum esset, ex sententia quoque eiusdem Panorm. *hic*, qui & ob id hanc opinionem contrariam putat esse æquiorem; quam & amplectendam censet, cùm magis faveat matrimonio, *c. fin sup De sentent. & re jud.* adhibita tamen forma *d. c Laudabilem*, sicut ibi latiùs dicetur.

Cæterum quòd hic textus noster *in c.* 2, subjungit, propter urgentissimam necessitatem, utpote pro bono pacis, nonnullos coniungi, qui nondum justæ ætatis sunt ad contrahendum matrimonium, referri non potest ad veram matrimonii coniunctionem, propter defectum consensus matrimonialis, qui nondum est in impuberibus, *c. Tua* 25, *sup. tit prox & c. A nobis* 8. *hoc nostro tit.* & sine quo matrimonium constare non potest, *c. Tua nos* 26, *circa fin sup. tit. prox.* sed referendum est ad conjunctionem matrimonialem, quæ de facto fit. Nec enim sine causa textus noster utitur verbo, *toleretur*, quasi per dissimulationem quamdam.

IN TIT.

IN TIT. III. DE CLANDESTINA DESPONSATIONE.

SUMMARIA.

1. Desponsationis *verbo venit interdum matrimonium.*
2. *Clandestinum matrimonium quotuplex.*
3. *Clandestinorum matrimoniorum incommoda.*

HIc Titulus usu frequentissimus est : nam agit de matrimonio clam contracto, quid in eo juris sit, atque idcirco diligenti explicatione opus habet. † Itaque desponsationis
1 verbum hic pro ipso matrimonio sumitur, sicut passim apud SS. Canones, *can. Conjuge, can. Qui desponsatam* XXVII. *q.* 2, *c Tuanos* 26, *sup. De sponsalib. c.* 2, *& c.* 4, *inf. De sponsa duor.* quamvis propriè loquendo desponsationis verbo tantummodò veniant sponsalia, quæ appellamus de futuro, subaudi matrimonio contrahendo, *l. Qui pupillam* 7 *in pr. D. Ad L. Iul. de adult. & l.* 4, *D. De sponsalib.*

2 Tribus verò modis clandestina desponsatio sive matrimonium dicitur, ex Glossæ sententia *in c fin. in V. clandestina h tit.* Uno, si nullis testibus præsentibus matrimonium contractum sit, *c.* 2, *h.t.* Altero, si non adhibitis solemnitatibus, quæ recensentur *in can. Aliter* XXX. *qu.* 5, Tertio, si non præmissis denuntiationibus in Ecclesia, quæ vulgò banna vocantur, *ut inc. Cum in tua* 6, *inf. Qui matrim. accusare poss. c. fin. h t.* Et quidem primus modus præcipuè ad hunc titulum pertinet ; secundus non item : si enim aliter legitimè constet de matrimonio contracto, quàm per illas solemnitates, nihilominus matrimonium recipitur ab Ecclesia, *d can. Aliter in fine, & can. Nostrates eod. qu* 5, Tertius verò modus eatenus pertinet, ut, si parentes ignorantes in gradu prohibito contraxerint, denuntiationibus non præmissis, liberi ex eodem matrimonio nati prorsus illegitimi sint, *d. c fin ubi de hoc latius.*

Priusquam verò textum nostrum ingrediamur, sciendum est, matrimonia clandestina, id 3
est, absque testibus contracta, vera quidem esse matrimonia, *c.* 1, *& 2, hoc tit nostro,* (adhibita tamen moderatione Concilii Trid. de qua paulò pòst) sed Ecclesiam semper justo odio ea prosecutam esse, propter magna incommoda, quæ inde provenire solent, *can Nullus, can. Nullum sine dote* XXX. *q.* 5, *d c fin. h t. & Concil. Trid Sess* 24, *c.* 1 *de reformat. matrim.* Nam hinc continuæ rixæ & contentiones inter clam contrahentes, dum fortè alter contrahentium pœnitentia ductus negat à se contractum esse matrimonium, alter verò affirmat, sed id probare non potest : nam huic jure obiicitur hæc juris sententia : Jus tibi non deficit, sed probatio, *ex l. Duo sunt Titii* 30, *D. De testam. tut. ex can fin.* XXXII. *qu* 5, Unde etiam accidit, ut si alter vel uterque matrimonium cum alio, vivente adhuc priore, contrahat, in perpetuo adulterio cum posteriore necesse est vivat. Cùm enim matrimonium, licet clandestinum, sit verum matrimonium, propter consensum, qui sufficit in matrimonio contrahendo, *c. Cum locum* 14, *sup De sponsalib.* apertè sequitur, cum posteriore minimè consistere matrimonium, sicut fusiùs dicam *ad c.* 2, *inf. eod.*

In Cap. primum.

SUMMARIA.

1. *Clandestinam desponsationem negantium probatio cur viro incumbat.*
2. *Negantis factum probatio nulla est.*

1 VErba textus hæc sunt : *Si quis clam desponsaverit aliquam, & mulier vel vir negat hujusmodi desponsationem, viro incumbit probatio.* Mirum certè videtur, cur viro incumbat probandi onus, ubi matrimonium à se contractum ne-
2 gat, † cùm per rerum naturam factum negantis probatio nulla sit, *per text in l Actor* 23, *C. De probat. & can fin.* VI. *quæst* 5, Sed is probare tenetur, qui asserit, non qui negat, *l* 2, *D De probat.* Ut autem hunc scopulum effugiant, sunt qui putant, hæc duo verba, *vel vir*, è textu nostro expungenda esse. Qua interpretatione admissa, nulla erit difficultas cap. nostri, ut scilicet viro asserenti contra mulierem negantem probatio incumbat matrimonii.

Verùm Glossa, Panormit. Butrius, aliique Interpretes hanc expunctionem non agnoscunt, sed integram retinent lectionem nostram. In dissol-

vendo

vendo verò hoc nodo variè occupantur. Sed verior eorum sententia est, qui existimant, quòd de probatione viri hic dicitur, idem tacitè repetitum censeri in muliere; ut hic sensus sit: Si mulier negat desponsationem, vir è contrà asserat, quòd tunc viro incumbat probatio: si vir neget, & mulier è diverso affirmet, quod hoc casu mulieri probatio incumbat. Et sic facilè hic textus conciliatur cum juribus suprà allegatis. Atque hanc interpretationem communiter à Dd. receptam esse testantur Panorm. & Præpositus *hic*. Addit tamen Panorm. quòd licet ea aliquatenus impropria videatur, tamen ut vitetur absurditas & minùs violentur communis juris regulæ, ideò rectè ad hanc interpretationem decurri, *argumento cap. Cum dilectus sup De consuet.*

In Cap. Quod nobis 2.

SUMMARIA.

1. *Ecclesia neminem constringit stare matrimonio à se clandestinè contracto.*
2. *Ecclesia non judicat de occultis.*
3. *Clam contrahens & postea palam, cogendus ad observationem posterioris matrimonii.*

1 SEntentia hujus Cap. hæc, est, quòd nemo constringatur ab Ecclesia stare matrimonio clam à se contracto. Si tamen contrahentes illud publicare voluerint, recipit illud Ecclesia, tamquam publicè contractum: nisi justum impedimentum obsistat, puta consanguinitatis, affinitatis, vel simile.

2 Prioris membri hæc ratio est, quòd Ecclesia, id est, Ecclesiasticus judex non judicet de occultis, *c. unico sup. Vt Ecclesiastica benef. sine diminut. confer. & can. Erubescant 32, distinct.* Imò magis clam contrahentes, si cohabitaverint, separandi sunt ab Ecclesia; eò quod Canones præsumant nullum inter eos contractum esse matrimonium, quod facti est, sed adulterium, contubernium, stuprum, vel fornicationem, *per text. in can. Aliter*

3 xxx. q. 5, † Ut hinc rectè sequatur, eos, qui priùs matrimonium clam contraxerunt, & postea cum alio aliave matrimonium palam sive publicè, cogendos esse non ad prioris matrimonii, sed ad posterioris observationem: non quòd per posterius matrimonium sublatum sit prius, sed quòd de priore matrimonio legitimè fides fieri non possit Ecclesiæ, propter defectum probationis; posterius verò matrimonium legitimâ probatione nitatur. Atque idcirco de qua re cognoscit judex, de eâ quoque pronuntiat, *l. De quare 74, D. De judiciis.*

Sed obiicies, cùm posterius matrimonium reverà nullum sit, propter prius matrimonium, *c. penult. sup. De sponsal.* quâ ratione Ecclesia potest approbare matrimonium posterius? anne Ecclesia ad peccandum quemquam cogit, vel invitat? Minimè. Imò perpetua Canonum sententia est, potiùs debere nos omnia mala perpeti, quàm ut peccato assentiamur, *can. 3, xxxii. qu. 5, can. Lotharius xxxi. qu. 2, & cap. Sacris sup. De iis qui vi metuvè causa*, cùm nullum malum peccato gravius sit, vel ipso teste Aristotele, *Ethicor lib. 3, c. 1.*

Sed respondetur, id necessariò fieri ab Ecclesia, id est, Ecclesiastico judice. Etenim judex de qua re cognovit, de eadem pronuntiare cogitur, ut jam dictum est: quæ tamen pronuntiatio judicis non eam vim habet, ut quis contra conscientiam teneatur ei parere, sed tantùm, ne aliter pronuntiando judex videatur officio suo defuisse. Quo fit, ut, etsi judex per censuram excommunicationis velit contrahentem adstringere ad observationem posterioris matrimonii, non ideò tamen ille contra conscientiam suam teneatur parere judici, sed humiliter sustinebit excommunicationem, *per tex. in c. Inquisitioni 44, inf. De sent. excomm.* Neque enim qui in foro exteriore excommunicatus est, eo ipso statim censeri debet excommunicatus in interiore foro, id est, coram Deo, si aliàs justa causa eum excuset; sicut eleganter docet D. Hieronymus: Si quis, inquit, non recto judicio eorum, qui præsunt Ecclesiæ, depellatur & foras mittatur, si ipse non antè exiit, hoc est, si non ita egit, ut mereretur exire, nihil læditur in eo, quòd non recto judicio ab hominibus videtur expulsus. Et ita fit, ut interdùm ille, qui foras mittitur, intus sit, & ille foris, qui intus retineri videtur. *text. est in can. Si quis non rectè xxiv. quæst. 3, facit text. in can. Quid obest 50, c. Si quis cum seq. xi. q. 3*, Quod latius examinat Did. Covarr. *in c. Alma mater p. 1, §. 7, num. 5, De sentent. excom. lib. 6*, ubi & eleganter docet, excommunicatum injustè, id est, per errorem (ut & hoc nostro casu) non privari communibus & generalibus

bus suffragiis Ecclesiæ Catholicæ. Etenim Ecclesia, inquit, non censetur velle quemquam injustè tantâ læsione afficere, sed magis secundùm veritatem conformare se divino judicio, *facit can. Illud planè* 11 *q* 3.

Quod ad alterum membrum textus nostri attinet, videlicet matrimonium clam contractum, si à contrahentibus posteà publicetur, recipi ab Ecclesia, hanc rationem habet, quòd ex confessione partium jam constet Ecclesiæ, in eos matrimonium esse contractum. Jure igitur recipit Ecclesia hujusmodi matrimonium tamquam legitimè probatum confessione partium, *l. Post rem* 56, *D. De re jud.*

In Cap. ultimum.

SUMMARIA.

1. *Matrimonia clandestina quomodò prohibita.*
2. *Matrimonium contrahendum cur priùs denuntietur in Ecclesia.*
3. *Nuptiæ incestæ quæ.*
4. *Nuptias incestas contrahentium bona ipso jure amittuntur.*
5. *Nec opus est sententiâ condemnatoriâ judicis, sed declaratoriâ tantùm.*
6. *Pœna hæc confiscationis an in quibuslibet incestis nuptiis locum habeat?*
7. *Eâdem pœnâ afficitur presbyter, qui tali matrimonio interfuit.*
8. *Matrimonii denuntiatio trina ex præscripto Conc. Trid.*
9. *Ea an & ubi omitti possit.*
10. *Causarum matrimonialium judex legitimus est Episcopus.*
11. *Matrimonii contractus in facie Ecclesiæ celebrandus.*
12. *Matrimonii Sacramentum qualiter subiiciatur juri humano.*
13. *Matrimonium absque denuntiatione celebratum est clandestinum.*
14. *Matrimonia præsumpta per Conc. Trid. abrogata.*
15. *Sponsalia de futuro clam contracta tenent.*
16. *Coram quo Parocho, sponsi vel sponsa, matrimonium contrahi debeat.*

HOc Cap. est Innocentii III. in generali Concilio Lateranensi, triaque continet. Primò prohibet matrimonium contrahi inter quartum cognationis & affinitatis gradum. Deinde interdicit matrimonia clandestina. Tertiò formam præscribit matrimonii ineundi, pœnasque adicit, si secus factum fuerit.

Quod ad primum attinet, eius explicationem reticiemus *ad c. Non debet* 8, *inf. De consang. & affinitate.*

Quo ad secundum, huius interdictionis rationes reddidimus suprà *ad Rubr. hujus t.* Sed cum à jure prohibita sint matrimonia clandestina, *per hunc text. nost.* cui suprà *eod. ad c.* 2, diximus, adeò ea valere, quòd per posterius matrimonium subsequens illis minimè derogetur? contra juris regulam, quâ jubentur ea, quæ contra jus fiunt, pro infectis haberi, *cap. Quæ contra jus De R. I. lib.* 6, *& l. Non dubium* 5, *C. De legib.* nec enim prohibitio legis effectu carere debet, *can. Vides dist.* 10. Respondetur, hanc juris regulam tunc obtinere, ubi lex simpliciter aliquid prohibet, manendo intra limites prohibitionis. Aliud, si ulteriùs progrediatur lex, contrarium scil. factum expressè vel tacitè sustinendo: ut in clandestino matrimonio, quod licet à jure Canonico improbetur, tamen ab eodem tacitè sustinetur, sicut constat *ex d. c.* 2, Idem evenit in matrimonio contracto post votum simplex castitatis emissum, *c. Rursus* 6, *sup. Qui Clerici vel vovent. & c. unico De voto & voti redempt. in* 6. item in sententia duriùs & sub conditione lata à judice, *l. Relegatorum* 7, *§. ad tempus D. De interd. & relegat. l. Moru* 9, *§. sed enim D. De pœnis, & l.* 1, *§. biduum D. Quando appellandum sit.* Ubi in Glos. vide plura exempla, in quibus ideò, ut jam dictum est, à prædicta juris regula disceditur, quòd lex non maneat intra terminos prohibitionis, sed factum permittat. Ac proinde de his rectè dicitur: Quòd multa fieri prohibeantur, quæ tamen facta tenent, *per text. in c. Ad Apostolicam* 16, *sup. De regularib.*

Quantum concernit formam matrimonii ineundi, hæc præscribitur hoc cap. nostro, videlicet; cùm matrimonium contrahendum est, denuntiatur priùs per presbyterum in Ecclesia; adjecto termino competente, intra quem cuilibet liberum sit ad impediendum matrimonium obiicere consanguinitatem, affinitatem, vel aliud impedimentum canonicum. Non minùs tamen & ipsi Parocho incumbit de tali impedimento dis-

quirere & indagare. Et si probabilis ejus conjectura adferatur, prohibetur eodem textu nostro matrimonium interim contrahi, donec de impedimento legitimè cognitum fuerit. Subsequenter hæc pœna subiicitur in ipsos contrahentes, ut, si neglectâ hac forma matrimonium contraxerint in gradu prohibito, etiam ignorantes, liberi eorum ex tali conjunctione suscepti prorsus illegitimi censeantur; cùm parentes taliter contrahentes non expertes scientiæ (ut loquitur textus noster) vel saltem affectatores ignorantiæ videantur: unde in dolo esse præsumuntur, propter juris regulam: Qui contra jura mercatur, bonam fidem præsumitur non habere, *c. Qui contra jura De R. I. in 6, & l Quemadmodum 7, C. De agricolis & cens. lib. 11.* Et licet hæc regula de emptore loquatur, idem tamen juris est & in cæteris casibus, qui contra jus exercentur. Nam cùm quilibet actiones suas teneatur dirigere ad normam juris, *l Leges sacratissimæ 9, C. De legib. c. 1, sup De constit.* censetur, si contrà fecerit, non ignorâsse jus, vel saltem alios consuluisse, vel, si non consuluit, affectasse ignorantiam. Unde excusatione dignus non est, *arg l. Dolus 44, D. Mandati.* At si denuntiatione præmissâ matrimonium contractum sit, & postea aliquod impedimentum Canonicum emerserit, nihil obest liberis ex huiusmodi matrimonio procreatis, vel etiam conceptis, quin planè hi pro legitimis habendi sint, *per hunc text. nostr.* argumento ducto à contrario sensu, & probat text. *in c. 2, & in c. pen. inf. Qui filii sint legit.* ubi & de hac re latius. Nisi tamen parentes antea sciverint inter se subesse impedimentum canonicum: quâ specie non prodest liberis præmissa denuntiatio, in ecclesiâ facta, *text. hic in § si quis vero, & Concil. Trid. Sess. 24, cap. 5, in decreto de reformat. matrim.* Et hæc quoad liberos ex injusto matrimonio natos. Cæterùm quoad parentum pœnam nihil hoc textu traditur; sed extat *cap. unicum De consang. & affinit. in Clement.* quo ipso facto incestas nuptias contrahentes excommunicantur.

3 Incestæ nuptiæ vocantur, quæ fiunt inter cognatos & affines, inter quos de jure interdictæ sunt nuptiæ, *l fin C. De incestis & inutilib. nupt.* Did. Covarr. *p. 2, cap. 6, §. 8, de matrim.* Jure verò Civili incestas nuptias contrahentium, præter exilium, bona fisco ipso jure applicantur, non existentibus liberis ex priore matrimonio, *Novell. 12, de incest. nupt. & Auth. Incestas Cod. d. tit. De incest. juncto cap. Cùm secundùm 19, De hæret. lib. 6,* Quare in hoc crimine non est necessaria sententia condemnatoria, cum ipso jure hæc pœna inferatur.

Quod animadversione dignum, & in aliis delictis, ubi ipso facto puniuntur à jure, quorum aliquot exempla recenset textus *in d. cap. Cùm secundum.* Tametsi enim alias morte delinquentis crimina extinguantur, *l. 1. & l. 2, C. Si reus vel accus. mort. fuerit,* tamen quando à lege vel canone pœna amissionis bonorum inducitur ipso jure, delictum etiam post mortem delinquentis tractari, & in judicium deduci potest contra hæredes, ad hunc finem, ut fiscus bona delinquentis consequatur *Glos. in l 1, §. quod autem D. Quod quisque juris, quam & ibid. Dd. communiter approbant, testie* Did. Covarr. *sup. allegato loco num. 7,* Interim opus est in hujusmodi delictis sententiâ declaratoriâ judicis, quâ videlicet judex declaret, tale delictum admissum esse: alioqui ad occupationem bonorum deveniri non potest, *d. cap. Cùm secundum & fusius tradit* And. Gail. *lib. 2, Observat. 51* ubi eleganter pro regula tradit, quòd omnes leges & statuta, quæ inducunt ipso jure privationem, ad dominii tantùm, non possessionis privationem spectent, nisi fortè delictum esset notorium, de quo fusè Felinus *ad c. Cùm non ab homine 10, sup. De judic.*

Verùm quæstionis est, an, quæ de exilio & con- 6
fiscatione bonorum dicta sunt, habeant locum in quibuslibet incestis nuptiis? Quod existimat Glossa *in d. Auth. Incestas*: imò amplius obtinere putat in quolibet illicito matrimonio etiam jure civili interdicto, eò quod *d. Novell. 12, de incestis* loquatur generaliter de illicitis nuptiis. Sed verius est, pœnam dictæ Novellæ non ad omnes, sed ad eos tantùm pertinere, qui ratione consanguinitatis incestas nuptias contrahunt, ex communi sententiâ Doctorum, quam refert & sequitur Salycetus *ad d. Auth. Incestas num. 4,* eâ ratione motus, quòd textus *in d. Novella 12,* (unde *d. Auth. Incestas* desumpta est) non simpliciter agat de illicitis nuptiis, sed de illicitis & naturæ contrariis simul, sive copulativè, ita quod utrumque requiratur, sicut accidere solet in aliis orationibus conjunctim, sive copulativè enuntiatis: in quibus etiam omnium concursus necessarius est, *l. Si hæredi 5, D. De condit. institut. & § si plures Instit. De hæredib. instit.* Quod latè examinat Alciatus *ad l. Sepè 51, D. De verb. signif.* præsertim in pœnalibus, quæ cùm odiosa sint restringi magis convenit, quàm ampliari, *cap. Odia, cap. In pœnis De R. I. in 6, & l. interpretatione 42, D. De pœnis.* Igitur *d. Nov. 12, &*

12, *& Auth. Incestus*, exaudiendæ sunt de naturâ illicitis nuptiis, quod & ipse contextus satis indicat, dum ait, quam plurima animalia eas conjunctiones abhorrere tamquam naturæ adversas, veluti sunt inter parentes & liberos, *l. fin. D. De ritu nupt.* inter novercam & privignum, nurum & socerum, *l. fin. D. De condict. sine causa*, & inter fratrem & sororem, *l. 8, D. De ritu nupt. can. unico* XXXV *qu.* 1, nam inter hos jure gentium interdictæ sunt nuptiæ, *jam dictis jurib.* Quibus adde sororis filiam, nepotem atque proneptem, quia hæ liberorum loco sunt, *l. Sororis* 39, *& l. Etiamsi* 56, *D. De ritu nupt.* In cæteris verò conjunctionibus, quæ naturæ non repugnant, sed legibus interdictæ sunt, retinemus pœnam, *l. Qui contra Cod. De incestis & inutilib. nupt.* quâ tantummodò donata utrimque fisco inferuntur.

7 Cæterum redeundo ad textum nostrum, eadem etiam pœna statuitur in Presbyterum, qui clandestino aut aliàs interdicto matrimonio interesse præsumpserit. Jubetur enim per triennium ab officio suo suspendi. Tum etiam is, qui ad impediendum matrimonium calumniosè egit, pœnæ canonicæ subiicitur.

Sed de denuntiatione matrimonii in Ecclesia proponendâ hic latiùs dispiciamus. Disputant quidem Doctores, quænam Ecclesia in proposito argumento intelligatur: anne in una denuntiationem fieri sufficiat, ubi scilicet plures ejusdem loci sunt Ecclesiæ: item an ea intelligenda sit, ubi quis tempore matrimonii contrahendi habitat, an ubi parentes, vel ubi aliquando ipsemet habitavit, sed habitationem aliò transtulit? De quo vide hic Præpositum *sub num* 7, *&* Butrium *sub num.* 16.

8 Verùm, rejectâ hac disputatione, tota hæc res hodie revocanda est ad præscriptum Concilii Tridentini, quo disertis verbis ita disponitur: Ut in posterum antequam matrimonium contrahatur, Parochus tribus continuis diebus festivis, in Ecclesia inter Missarum solemnia publicè denuntiet, inter quos matrimonium sit contrahendum: quibus denuntiationibus factis, si nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem matrimonii in facie Ecclesiæ procedatur. Hæc Conc. Trid. *Sess* 24. *c* 1, *in decreto de reformat.* Ubi nota, ex decreto Conc. Tridentini non sufficere unam denuntiationem, sed requiri trinam, eamque à proprio Parocho in Ecclesiâ factam. Sufficit tamen eam fieri per Capellanum aut cooperatorem, sed mandato Parochi, *per ea quæ tradit* Navarr. *consil* 13, *de cland. desponsat.* Et probat juris regula: Qui facit per alium, est perinde ac si faciat per se ipsum, *c. Qui facit De R. I. lib.* 6, Neque opus est præcisè, ut hæc denuntiatio inter Missarum solemnia fiat, sed vel in concione, si ita habet loci consuetudo, ut paùlò pòst latiùs probabitur.

Quare hìc prætereundum non est, denuntiationem hanc licitè omitti in iis locis, ubi usu non est recepta, aut in dissuetudinem abiit, & per consequens liberos non fore illegitimos, qui neglectâ denuntiatione nati sunt ex matrimonio alioquin injusto, propter impedimentum canonicum: si tamen hujus impedimenti parentes ignorantes fuerint, ut suprà dictum est, & aliàs publicè contraxerint, *c.* 2, *inf. Qui filii sint legit.* Quod hac ratione comprobatur: nam lex, ubi recepta non est minimè obligat, *can. Erit autem cum* 2, *seq. dist.* 4, Ubi autem antè quidem recepta fuit, sed per contrariam consuetudinem abrogata est ex aliqua causa probabili, similiter non obligat, *per text. in cap. fin. sup. De consuet. & l. De quibus in fine D. De legib. & quæ utrobique tradunt Dd.* Unde utroque casu cessat hæc pœna de illegitimis liberis. Quod enim fit lege permittente, pœnam non meretur, *vulgatâ l. Gracchus C. Ad L. Iul. de adult.* Ut hinc rectè asserat Henricus Bohic, *ad c. hoc nostr.* quòd Reges, Principes & milites, qui hodie contrahunt absque bannis, id est denuntiationibus, non peccent mortaliter, ubi scilicet solitum est eorum matrimonia non denuntiari. 9

Quandoque hæc trina denuntiatio, impunè omittitur etiam in iis locis, ubi usu frequentantur; quando videlicet probabilis suspicio est, matrimonium malitiosè impeditum iri, si tot præcesserint denuntiationes; & tunc vel una denuntiatio sufficit, vel saltem Parocho & duobus testibus præsentibus matrimonium celebretur: deinde ante ejus consummationem, denuntiationes in Ecclesia fiant: nisi ordinarius ipse expedire judicaverit, ut prædictæ denuntiationes remittantur. *Concil. Tridentin. d. Sess.* 24, *cap.* 1, *vers. quòd si aliquando.* Quod velim Parochi notent, qui nonnumquam temerè & sine causa omissis denuntiationibus contrahentes conjungunt.

Quid autem juris sit in iis, qui incertis sedibus vagantur, ita quòd certum Parochum vel Ecclesiam non habeant, decrevit idem Concilium, ne hoc genus hominum vagantium facilè ad matrimonium admittatur, neque Parochi eorum matrimoniis intersint, nisi priùs diligenti inquisi-

tione factâ, & re ad Ordinarium delatâ, ab eo licentiam id faciendi obtinuerit. *Conc. Trid. Seff. 24, c. 7.*

10 Sed quid si denuntiatione factâ, vel etiam non factâ, ubi aliter consuetudo dictat, prout jam dictum est, impedimentum canonicum obiiciatur: quæsitum est, ad quem hæc cognitio spectet? Et certum est, non ad Parochum, sed ad Episcopum pertinere, qui legitimus judex est causarum matrimonialium, *c. Accedentibus 12, inf. De excess. Prælat. Conc. Trid. d. Seff. 24, c. 20, §. adhæc.* Ideoque Parochi est hoc impedimentum referre ad Episcopum, ex sententia Præpositi *hic num. 7, sub fin.* Poterit etiam is hoc jure Decretalium de eodem impedimento cognoscere, qui vel ex privilegio, vel ex præscriptione legitimè hoc jus sibi acquisivit, *d. c. Accedentib. in fine & ibi Gl.* Quod tamen hodie mutatum est per Conc. Trid. *d. §. adhæc*, quo hujusmodi privilegia & præscriptiones sublatæ sunt, & causæ matrimoniales ad solius Episcopi cognitionem revocantur, *d. §. ad hæc in fine.* In quo tamen nihil interest, sive Episcopus per se, sive per alium causas matrimoniales, aliasque Ecclesiasticas cognoscat, *c. Cùm Episcopus 7. De officio Ordin. lib. 6*, ut puta per Vicarium vel Officialem suum, cujus idem cum Episcopo est consistorium, *cap. 2, De consuet. in 6.*

11 Nunc de contractu ipsius matrimonii videamus. Qui jubetur celebrari in facie Ecclesiæ, ubi Parochus, viro & muliere interrogatis, & eorum mutuo consensu intellecto, his verbis vel similibus utitur, juxta receptum uniuscujusque provinciæ ritum: *Ego vos in matrimonium conjungo, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Ita Concil. Trid. *d. c. 1, in princ.* Hic tamen modus contrahendi matrimonii non est quidem de essentia matrimonii, cùm ante docuerimus ad matrimonii contractum sufficere solum consensum contrahentium, licet clam interpositum, dummodò confessione partium vel aliter de eo constet, *c. 2, h. t. & can. Aliter in fine XXX. q. 5.* Sed respicit solemnitatem & expeditiorem matrimonii probationem: nisi quòd hodie ex præscripto Concilii Trid. in actu contrahendi matrimonii interesse debeat Parochus, vel alius Sacerdos, de ipsius Parochi seu Ordinarii licentia, & duo vel tres testes, alioquin matrimonium tamquam ab inhabilibus contractum planè nullum & irritum est, *d. c. cap. 1. vers. qui aliter.*

12 Neque obstat, quòd matrimonium sit divini juris, institutum ab ipso Deo, *Genes. c. 1, & 2, Matth. 19*, Ergò per hujusmodi impedimentum, & similia jure Canonico, id est, humano introducta, derogari non potest juri divino, quod potentius est. Quia Resp. matrimonium, etsi à Deo institutum sit, & a Christo in numerum Sacramentorum relatum; nihilominus cùm per mutuum consensum humano more contrahatur, idcirco quoad personas contrahentium subiicitur humano juri. Unde mirum non est, si alioqui habiles per constitutionem Ecclesiasticam inhabiles reddi possint: adeò ut etiam per constitutionem civilem hoc fieri possit apud Ethnicos, qui extra Ecclesiam sunt; uti & apud Christianos, propter annexam rationem Sacramenti, ac proinde apud hos subiicitur Ecclesiasticis constitutionibus. Quod non dissimili argumento ita declaratur: Constat emptionem, venditionem, locationem, conductionem, societatem, mutuum, similesque contractus esse juris gentium, id est, naturali ratione apud omnes gentes introductos, *§. jus autem gentium Instit. De jure natur. gent. & civ.* Atque hoc jus quamvis Justinianus vocet firmum & immutabile divinâ quadam providentia; tamen in confesso est, multos prohiberi ab hujusmodi contractibus, videlicet minores 25. annis, absque tutorum vel curatorum auctoritate, ita quòd eorum contractus, quoad obligandum se, planè irriti sint, *ut Instit. De auctorit. tutor. & l. 3, C. De in integr. restit. minor.* Idem evenit & in præsenti argumento, ut quamvis matrimonium sit juris gentium, respectu consensus naturalis, quo apud omnes gentes contrahitur (nam respectu conjunctionis maris & fœminæ, quæ & in brutis animantibus est, dicitur à Justiniano juris naturalis, *Instit. De jure natur. gent. & civili in pr.*) tamen in quibusdam personis quandoque eius effectus rectè impeditur, vel per constitutiones civiles, veluti apud Ethnicos, vel Ecclesiasticas, ut inter Christianos.

Sed ut redeamus ad Conc. Trident. de præsentia Parochi vel alterius Sacerdotis & testium, 13
animadvertendum est, Concilium non infringere aut irritare matrimonium, quod omissa denuntiatione celebratum est, sed quod in absentia Parochi vel alterius Sacerdotis & testium contractum est, nihilominus illud, quod absque denuntiatione contractum est, licet præsentibus Parocho, aut alio Sacerdote & testibus, dicetur clandestinum: ac proinde in tali matrimonio, comperto postea impedimento canonico, proles ex eodem nata erit illegitima, *per hunc text. in § si quas*

verò,

verò. Neque enim in hac re quidquam immutatum est per Concilium Tridentinum, sicut rectè censet Mart. Navar. *in Manuali cap* 22, *num*. 70, & correctio jurium in dubio minimè inducenda est, *l Præcipimus* 32, *in fine C. De appellat. & arg. l. Sancimus* 27, *C. De testam.*

14 Præterea observandum est, ex eodem decreto Concilii Trident. *in d. vers. qui aliter*, abrogata esse omnia præsumpta matrimonia, veluti sunt, quando sponsalia per subsequentem copulam inter sponsum & sponsam transeunt in matrimonium, *c. Is qui fidem* 30 *sup. De sponsalib.* adeò, licet sponsalia sub conditione concepta sint, *c. Per tuas* 6, *inf. De conditionib. appos.* aut cum per concubitum sive spontaneam cohabitationem convalescit, *c. Ad id* 21, *sup. De sponsalib. & c.* 2, *inf. De eo qui duxit in matrimon.* Nam hæc jure Decretalium rectè dicuntur, sicut constat ex juribus jam allegatis. At minùs rectè juxta præscriptum Concilii Trid. quo omnia præsumpta matrimonia abrogata sunt, propter absentiam Parochi vel alterius Sacerdotis, & duorum vel trium testium, qui in præsumpto matrimonio non solent adhiberi; intelligendo tamen iis in locis, ubi hoc decretum promulgatum est: nam *in fine d. c.* 1, *de reformat. matrim.* disertè dicitur, hoc decretum Concilii Trid. tunc obligare, ubi post publicationem in parochia factam elapsi sunt triginta dies. Ergò ubi publicatum non est, neminem adstringit, sed valet quoquo modo contractum matrimonium.

Postremò hic duo observanda sunt. Unum, 15
quod de matrimonio coram Parocho vel alio Sacerdote, & duobus vel tribus testibus contrahendo diximus, non habere locum in sponsalibus propriè dictis, quæ de futuro appellamus; hæc enim etiam hodie post Concil. Trident. clam contracta valent. Neque enim Concilium hæc abrogavit, sicut rectè monet Mart. Navarr. *in Manuali c.* 75, *num.* 144, Atque idcirco cùm Parochus, vel alius Sacerdos contrahendis sponsalibus adhiberur (ut fieri solet) id non necessariò fit, sed majoris honestatis causâ.

Alterum est, quòd sufficiat matrimonium con 16
trahi coram Parocho habitationis mulieris, ubi matrimonium contrahitur in parochia ipsius. Sin in parochia viri, sufficit præsentia Parochi ipsius viri, ex declaratione Congregationis Cardinalium deputatorum ad dubia Concil. Trid. declaranda, teste Navarro *cons* 3, *n.* 1, *de clandest. de sponsi. & in Manuali d num.* 144.

IN TIT. IV. DE SPONSA DVORVN.

SUMMARIA.

1. *Sponsalibus binis contractis quæ præferenda.*
2. *Fides pactionis & fides consensus quid?*
3. *Quid si sponsa à sponso, ante contractum cum alia matrimonium, cognita fuerit?*

AGitur hoc Tit. de iis, qui bina sponsalia contraxerunt, utra scilicet præferenda sint. Tota verò hæc res adhibitâ distinctione dirimenda est. Aut enim priora fuerunt sponsalia de futuro, & posteriora de præsenti cum alia persona. Hac specie posteriora præferenda sunt, quòd per hæc dissolvantur sponsalia priora ipso jure, *text. hic in cap.* 1, *& in c. Sicut* 22, *sup. De sponsalib.* ubi rationem reddidi. Aut utraque fuerunt de præsenti: & certum est priora præferenda esse, etiamsi posteriora per concubitum consummata sint, *d. c.* 1 *& c.* 2, *& c. fin. h. tit. & c. penult. sup. De sponsal.* ubi & hujus rei rationem diximus. In his totus hic Tit. insumitur, nisi quòd in *cap.* 4 tractetur de matrimonio contra interdictum judicis contracto, de quo proprius disserendi locus erit inf. *sub. tit. De matrim. contracto contra interdict. Eccles.*

Illud tamen propiùs inspiciamus, dum textus noster in c. 1, distinguit inter fidem pactionis & consensus. *Fidem pactionis* vocat cùm quis mulieri fidem promittit, id est, addicit se eam in uxorem ducturum, si patiatur se cognosci. *Fidem* autem *consensus*, quando mutuus consensus matrimonialis utrimque intercedit. Et quidem si quis post fidem pactionis datam uni interponat postea fidem consensus cum alterâ, hanc videlicet in uxorem ducendo, quòd huic adhærere debeat, relicta priore; propterea quòd cum priore sponsalia de futuro contracta fuerunt, cum posteriore verò matrimonium.

Quid si sponsa de futuro antea à sponso cognita fuerit, priusquam hic cùm alia matrimonium contraheret? Et puto priora sponsalia præferenda esse, tamquam impleta jam conditione, *c.* 3,

inf tit prox De appos. nam accipiendus hîc concubitus de legitimo sive permisso à jure, qui est inter solos conjuges, *can Nemo blandiatur* XXXII. *quæst* 4 Atque idcirco cum honesta sit, per concubitum simul purificatur, & in matrimonium transit. Aut certè, si de illicito concubitu intelligatur, pro non adjecta habebitur conditio, tamquam ea turpis sit, ut accidit in matrimonio, *cap fin inf De condit appos ubi latiùs Gloss. & Doct. communiter*, teste Præpos. *hic ad d cap.* 1. At verò certi juris est, sponsalia per concubitum subsequentem in matrimonium transire, *cap. Is qui fidem* 30 *sup De sponsalib.*

IN TIT. V. DE CONDITIONIBUS APPOSITIS IN DESPONSATIONE VEL IN ALIIS CONTRACTIBUS.

SUMMARIA.

1. *Conditio quid & quotuplex.*
2. *Conditio matrimonio an apponi possit?*
3. *Contractus conditionales purificantur eveniente conditione.*
4. *Matrimonium posterius pendente conditione prioris tenet.*
5. *Conditio pro modo accepta non suspendit actum.*

1 QUandoque sponsalia adjecta conditione contrahuntur, sicut & alii contractus: idcirco hoc Titul. singulari de eo pertractatur.

Est autem conditio, auctore Bartolo *ad l.* 1. *D. De conditionib & demonst.* futurus quidam eventus, in quem dispositio suspenditur, *l Itaque* 39. *D. Si certum pet & §. sub conditione Instit. De verbor oblig.* Eaque triplicis generis est. Aut enim est casualis, quæ ex casu sive fortuna pendet; ut, *Si hodie navis ex Asia venerit.* Aut potestativa, quæ ex voluntate nostra vel aliena dependet, veluti, *Si decem dederis, si pater consenserit.* Aut mixta, quæ partim ex fortuna, partim ex voluntate pendet, veluti, *Si per mare in patriam rediero, l unica § sin autem aliquid C. De caducis tollen l Si pater C. De institut & substitut & l Stuus* 4. *D. De hæred instit.* Loquimur autem de conditione propriè dictâ, quæ in futurum tempus concepta est, non quæ in tempus præsens vel præteritum; veluti, si Titius Consul fuerit, vel si Titius jam Consul est Hæ enim conditiones eventum non suspendunt, sed aut statim infirmant obligationem, si falsæ sint, aut nullâ ratione differunt, si veræ sunt Quæ autem per rerum naturam sunt certa, non morantur obligationem, licet apud nos incerta sint, *text in §. conditiones Instit. De verbor. oblig. l. Cùm ad præsens cum l. seq. D. Si cert pet. l. Cùm in secundo* 16 *D. De injusto rupto & irrito facto testam.* Itaque conditio, de qua hic agimus, est eventus futurus, isque incertus. Nam si conditio certò eventura est, puta, *Contraho tecum, si cras Sol oriatur*, non conditionalis contractus, sed purus est, per *text. in l Si pupillus* 9. § 1. *D De novat. & l. Quod sic* 18. *D. De condict. indeb* Idem est & si conditio ipsa contractui tacitè insit, utpote, *Contraho tecum, si vixerimus, vel si Deo placuerit.* Nam & hujusmodi conditio purum, non conditionalem contractum constituit, *l. Conditiones* 98 *& ibi Gl. & l Aliquando* 106 *D De condit & demonstrat.*

Cæterum existimat Did. Covarr. *in hoc lib IV. Decretal. p.* 2 *cap* 3. *num.* 3. *cum seq* matrimonio nullam conditionem apponi posse, sed tantùm consensui ad matrimonium. Refert enim matrimonium inter actus legitimos, qui non recipiunt conditionem nec diem, *c. Actus De R I in* 6 *& l Actus legitimi* 77. *D. eod tit* Siquidem matrimonium, inquit, institutum est ad mutuam cohabitationem & conjunctionem. Repugnat ergò ei conditio, cùm eâ pendente effectum minimè consequatur. Idem evenire videmus in emancipatione, cui si conditio adjiciatur, nulla planè erit emancipatio, quæ introducta est, ut statim quis liberetur a patria potestate, *d. l Actus legitimi* Quare vult Covarr. matrimonio apponi non posse conditionem, licet consensui conditionem rectè adjici posse existimet. Quam sententiam suam confirmat & juris textu *in cap. Super eo* 5. *hoc tit.* dum vult textus, adveniente conditione cogendum esse eum ad matrimonium contrahendum, qui conditionalem consensum præstitit. Igitur (inquit) nondum erat matrimonium contractum, etiam eveniente conditione.

Verùm hæc sententia Covarr. jure defendi non potest, cùm non solùm refragetur text *in can penult* XXVII. *quæst.* 1. *sed & d. cap Super eo*, quo nititur ipse Covarr. Unde magis puto, conditionem matrimonio rectè adjici posse hanc vel similem, *Contraho tecum si pater consenserit*, ut in specie *d cap. Super eo.* Quod & probat Glossa *ad d. cap fin hoc tit.* Innocen. Panormit. & Butrius *ad d. cap fin. hoc tit.*

item

item Mart. Navarr. *cons. 1. de condition. appos.* Et ratio est, quia hujusmodi conditionem nullibi improbant canonica instituta, ut disertè loquitur textus *in d. cap. Super eo.* Unde ea minimè respuenda est. Et quamvis Covarr. ex eodem *cap. Super eo* contrarium conetur eruere, ut jam antè dictum est, rectè tamen refellitur à Navarro *d. cons.* 1. dum hæc verba textus meliùs expendit. Nam interrogatus Urbanus III. utrùm is, qui in matrimonium consensit, *si pater ipsius assensum suum adhibuerit*, compelli possit ad consummandum matrimonium? respondit his verbis: nisi voluntas patris postmodum intercedat, nequaquam cogendus est ad matrimonium contrahendum; scilicet perfectè per consummationem, ut ita responsio congruat interrogationi. *arg. l. Qualiter & quando 24. sub fin. C. De fideicommiss. libertat.* Quamvis & alio sensu accipi possent verba ejusdem Capitis quòd videlicet conditione hac pendente, *si pater assensum suum adhibuerit*, non cogatur filius ad matrimonium purè contrahendum.

Non obstat argumentum Covarr. quòd matrimonium institutum sit ad mutuam cohabitationem & conjunctionem; ergò conditio adjici non potest matrimonio. Nam hæc consequentia falsa est: cùm & emptio & venditio institutæ sint, ut res emptori quæratur, & tamen certum est, emptionem & venditionem sub conditione contrahi posse, *§ penult. Instit. De empt. & vendit.* Idem est Judicium de aliis similibus contractibus, *l. Obligationum ferè 43. D. De actionib. & obligat.*

Neque argumentum valet *ex d. l. Actus legitimi*, de emancipatione ad matrimonium; nam in emancipatione, aliisque in *d. l. Actus* enumeratis, aliud receptum est, cùm ibidem disertè exprimatur, quòd tales actus diem vel conditionem non admittant, videlicet emancipatio, acceptilatio, hæreditatis aditio, servi optio, datio tutoris, qui merè actus legitimi sunt, id est, à jure Civili introducti. Secus est in matrimonio, quod non à jure civili sed à Deo institutum est, & postea apud omnes gentes usu frequentatum.

Relinquitur itaque, matrimonium sub conditione posse contrahi, quamvis ejus obligatio differatur in eventum conditionis; † ut fit & in cæteris contractibus conditionalibus, qui conditione eveniente purificantur, *l. Necessario 8. §. quod si pendente conditione D. De peric. & commodo rei vend. l. Qui balneum 9. & l. Potior 11. circa pr. vers. videamus D. Qui potiores in pig. vide* Jasonem *ad l. Si quis pro emptore num 311. cum seqq. D. De usucap.* ubi latè docet, an hujusmodi conditio eveniens trahatur ad tempus celebrati contractus: Quod hic non libet persequi brevitatis causâ. 3

Illud tantummodò adjecerim, quòd pendente conditione, si alter vel uterque contrahentium ad aliud matrimonium convolaverit, sustinebitur posterius matrimonium, etiamsi conditio prioris matrimonii postea evenerit, *per text. in cap. unico §. fin. De sponsalib. in 6. inspecta ratione ejusdem §.* Loquimur autem in præsenti de conditione honesta, non turpi aut impossibili, de qua acturi sumus *ad d. c. fin. hoc eod. tit.* 4

Interdum conditionis verbo venit modus sive pactum, conventioni sive legato adjectum, veluti cùm dicimus, rem emptam esse hac conditione, ut hoc vel illud præstetur, *l. 2. C. Sine censu vel reliquis fund. comparari non posse & l. Aristoni 39. D. Mandati*; vel legatum, relictum hac conditione, ut Mæviam in uxorem ducat, *l. Titio centum 70. §. 1. D. De condit. & demonstrat.* Atque hic modus minimè suspendit actum sive obligationem, sed ea pura & efficax est ab initio, & postea ad impletionem ejus agitur, *l. 1. & ibi Gloss. C. De iis quæ sub modo legat. vel fideicom. relinq. & d. l. Titius §. 1.* Verùm nos in proposito conditionem strictè & propriè accipimus, pro dilatione scilicet in certum aliquem eventum, prout suprà explicatum est. 5

In Cap. primum.

SUMMARIA.

1. *Conditio adjecta matrimonio qua rejiciatur.*
2. *Rejicitur turpis.*
3. *Conditio rejunctiva an vitiet contractum matrimonii.*

HOc Cap. videtur huc translatum ex Decreto Gratiani *can. Quicunque XXXVII. quæst. 2.* Sententia verò ejus hæc est, quòd conditio adiecta desponsationi de præsenti, id est, matrimonio, reiiciatur, & pura remaneat desponsatio. Quæ sententia si simpliciter accipiatur de qualibet conditione, adversabitur, 1

c. Super

c. Super eo 5, & c. fin. in pr. inf. hoc tit. & quæ paulò ante ad Rubr. hujus Tit. disseruimus.

2 Ideoque Doctores nostri, ut hoc dissidium tollant, duplicem interpretationem ad hunc textum nostrum adferunt. † Unam, ut exaudiatur de conditione turpi, ut puta si dictum sit: *Contraho tecum matrimonium, si hominem occideris, si furtum feceris*; nam hæ conditiones, aliæque similes, reiiciuntur à contractu matrimonii, propter ejus favorem, & contractus matrimonii pro puro habetur, *d c fin in fine, ubi de hoc latius*, ita Glos. Innoc. Butr. *hic & communiter Dd teste* Præposito *ad c. hoc nostr. &* Did. Covarr. *in hunc lib. 4, Decretal p 2, c. 3 §. 2, in pr.*

3 Altera interpretatio est, ut intelligatur textus noster de conditione resolutiva contractus, sive, ut explicatiùs dicam, de matrimonio puro, sed resolvendo sub conditione: veluti, contraho tecum matrimonium, & si non dederis centum, habeatur matrimonium pro non contracto. *Ita* Vincent. *quem citat* Butrius *hic, & sequitur* Cujac *hic in Posthumo suo.* Cujus hæc ratio redditur, quòd matrimonium semel contractum dissolvi non possit. Frustrà igitur hæc conditio resolutiva adiicitur matrimonio.

Verum hanc posteriorem interpretationem rectè improbat Cardinalis relatus à Præposito hic, qui indistinctè tenet, hujusmodi conditionem resolutivam vitiare contractum matrimonii, eò quòd tendat contra substantiam matrimonii, quod indissolubiliter contrahi debet, *d c fin. inf. eod.* Non igitur hæc posterior interpretatio textui nostro accommodari potest. Unde necessariò confugiendum est ad priorem interpretationem, ut ita hic textus cum aliis textibus conveniat, *c. Cùm expediat 29, in pr. De elect. lib. 6, & l. un. C. De inoffic dotibus.*

In Cap. De illis 3.

SUMMARIA.

1. *Conditio*, si decem dederis, *an obliget.*
2. *Intellectus* l. Si ita stipulatus 97, §. si tibi nupsero De V. O

1 EX hoc Cap. discimus, sponsalia de futuro etiam jurata contrahi posse sub hac conditione, *si decem dederis*; neque antè obligare, quàm si decem data fuerint: quippe pendente conditione nulla est obligatio, sed ita demùm nascitur, ubi evenerit conditio, *§. ex conditionali Instit De verbor. obligat. & l. Necessariò 8 § quod si sub conditione D. De peric. & commodo rei vend. & l. Cedere 213, vers. ubi sub conditione D. De verb. signif.* Quo fit, quòd neque oriatur, conditione pendente, publicæ honestatis justitia ex conditionalibus, *c. un §. fin De sponsalib. lib. 6.* Addit tamen textus noster, duobus modis recedi à conditione, vel per præsentem consensum matrimonialem, vel per carnalem copulam subsequentem, ita quòd ex hac carnali copula duplex effectus nascatur, videlicet, quòd ex conditionalibus pura fiant sponsalia, quæ & simul transfunduntur in matrimonium præsumptum, de quo alibi egimus, *ad c. Is qui fidem sup. De sponsalibus.*

2 Cæterùm huic conditioni, *Si decem dederis*, obstare videtur responsum Celsi Jurisconsulti *in l. Si ita stipulatus fuero 97, § si tibi nupsero D. De verb. oblig.* Si tibi nupsero, inquit Celsus, decem dare spondes? causa cognita denegandam actionem puto, nec rarò probabilis causa hujus stipulationis est. Idem si vir à muliere eo modo non in dotem stipulatus est. Hæc textus. Ex quibus liquet, hujusmodi conditionem tamquam turpem improbari à jure, cùm per eam venalia quodammodò reddantur matrimonia, contra bonos mores, *l. 2, D. De donat. inter virum & uxor.* & sicut non valeret talis promissio constante matrimonio, *l. 3. § & si stipulanti D. d. tit. De donat. inter virum & uxor.* ita & si in id tempus promissio conferatur, *l. Quod sponsa 4, C. De donat. ante nupt.* Alciat. *ad. d. § si tibi nupsero.*

Verùm hæc non indistinctè accipienda sunt, sed causa cognita, ut addit idem Celsus. Quidenim si ex honesta causa hujusmodi promissio fiat, veluti dotis nomine aut donationis propter nuptias, sive ob aliam causam justam, puta si mulier nobilis sit, vir vilis conditionis, vel è contrà, & idcirco stipuletur mulier in compensationem nobilitatis suæ, vel ex causa pacis stipulatio fiat: valebit enim hæc stipulatio, sicut tradunt Bartolus & Castrensis, *ad d § si tibi nupsero.* Non igitur hæc conditio, *si decem dederis*, statim rejicienda est, sed adhibenda cognitio judicis, utrùm ex causa honesta vel inhonesta facta fuerit. Quod & confir-

mat

mat elegans textus in *l fin. §. Seja D. De action. & obligat.* Itaque ex honesta causa hujusmodi promissio, sive conditio adjecta valet; eaque lucrativa, ut in specie textus nostri, si decem, vel aliud dederis, non verò si ea pœnalis sit, veluti est inter sponsos, dum alter alteri promittit decem vel centum, si nuptiis impedimento sit, ut eæ non sequantur, *c Gemma 29 sup. De sponsalib. & ibi latè diximus, & l Titia 134. D. De verb oblig.*

Deinde textui nostro locus est, cùm conditio ab altero conjugum interposita est: quòd si ab extraneo facta proponatur, certo certius est valere, *l 1. C. De institut. & substitutionib.* etiamsi ille extraneus pro ea promitteret, cum qua fortè ante consuevisset: nihil enim obstat, quin donare vel promittere aliquid possit. Ita rectè Alciat. *ad d § si tibi nupsero circa fin.*

In Cap. Verum 4.

SUMMARIA.

1. *Possessio donata Ecclesiæ interpositâ conditione an revocari possit?*
2. *Causâ impulsivâ cessante non cessat donatio.*
3. *Modus adjectus facit revocabilem donationem.*
4. *Quid si per solum Prælatum Ecclesiæ steterit, quò minùs impleatur conditio?*

1 CAp hoc notatu dignum est. Cujus hæc sententia est, quòd possessio, id est, rei dominium vel proprietas (nam possessionis verbo quandoque venit ipsa proprietas vel dominium, *ut hic & in l. Interdum 78. D De verb sign. & l. Prædiis 89 §. Titio D. De legat. 3.*) donata Ecclesiæ, interpositâ conditione, puta, ut aliquid fiat vel præstetur, revocari non potest, etiamsi conditio non sit impleta; nisi expressè dictum fuerit, ut, conditione non impletâ, possessio possit revocari. Intellige hîc per conditionem, non eventum rei futuræ, sed modum adjectum donationi, sicut suprà explicavimus, *ad Rubr. h. tit. circa fin.*

2 Et ratio textus nostri est, quòd modus huic donationi adjectus non sit principalis causa donationis, cùm pro salute animæ, aut in honorem Dei censeatur facta donatio, sed causa impulsiva, † quâ cessante nihilominus persistit donatio, *l. 2. § fin D. De donat.* Panorm *hic num. 2. sub fin & facit. text. in c Requisivisti 15 sup De testam.* Tiraquel. *in tract Cessante caussa, & c Limitat. 1.* Igitur hoc casu non agitur ad revocationem donationis, sed ad impletionem modi adjecti, *text hic & in l Ea conditione 14 C. De rescind. vendit. in l Mævia 44. D. De manumiss. testam.* Quò pertinet responsum Modestini JC. in *l Legatum 16. D. De usu & usufr. legato,* dum inquit: Legatum à testatore relictum civitati in spectacula quotannis exhibenda, quæ tamen in ea civitate prohibita sunt, quòd scilicet hujusmodi legatum in alium usum legitimum sit conferendum, ut ita memoria testatoris legitimo modo celebretur. Ita & hic memoria testatoris principalis causa legati est, atque idcirco legatum non concidit, si is modus, qui à testatore præscriptus est, non impleatur. Similis textus extat *in l. Legatum 5. § fin. D. De administrat rer. ad civit. pert.*

Subjungit tamen textus noster: *nisi fortè talis sit conditione collatum, quòd eâ cessante debeat revocari.* Ut si, v. g. ita dictum sit: Dono Ecclesiæ, ut hoc vel illud fiat, & nisi factum fuerit, donatum revocari possit: hîc dubitandum non est, deficiente hac conditione revocationi locum esse, propterea quòd cuilibet permissum sit in traditione rei suæ eam legem adjicere, quæ sibi placet, *l In traditionib. 48 D. De pact l 1. circa pr D. De solutionib. & c. Cùm dilecti 6 sup. De donat* 3

Atque hæc transferenda sunt ad fundationes Collegiorum, beneficiorum Ecclesiasticorum, anniversariorum, & similium quæ pietatis vel divini cultus causâ instituuntur, ut, si in his modus appositus non servetur, agi possit, ut modus impleatur, non verò ad revocandam donationem, nisi id expressè in fundatione cautum sit, *arg. hujus text nostri.* Ubi verò modus adjectus principalis sive finalis causa est ipsius actus, rectè agitur ad revocationem sive rescissionem ejus, quod traditum est, nullâ etiam appositâ clausulâ revocatoriâ, *per text in l Cùm tefundum 6 C. De pactis inter empt & vend l 1 l. 2 & l 3 C De don. quæ sub modo, & l fin C De revocan donat.* habetq; locum hæc juris sententia, cessante causâ cessat effectus, *c. Cùm cessante 60. in pr. sup. De appellat*

Quærunt hîc Dd. de clausula revocatoria adjecta donationi, ut antè dictum est, utrum locum habeat, si dumtaxat per Prælatum sive alium superiorē Ecclesiæ steterit, quo minus impleatur? 4

Et rectè respondent, quòd non, propter juris regulam: Delictum personæ non debet in detrimentum Ecclesiæ redundare, *c Delictum De R. I. lib. 6.* Sed requiritur negligentia Prælati & Capituli simul, sicut tradunt Panorm. & Præposit. *hic*, latè Felin. *consil.* 34. Quod etsi negare videatur D. Peckius *add cap. Delictum*, utne quidem delictum Prælati & Capituli simul nocere possit Ecclesiæ; siquidem bona Ecclesiastica etiam ad reparationem templi, & in alimoniam pauperum destinata sunt, *can fin.* XVI. *quæst.* 1 *can Quatuor* XII *quæst.* 2. quibus iniquum videtur præjudicium aliquod generari debere ob negligentiam aliorum, *cap. Non debet De R. I. in 6 & l. Non debet D. eod. tit.* Nihilominus verior est prædicta Dd. sententia, *per hunc textum nostrum in fine*, qui apertè hoc indicat; alioqui nunquam ejus decisio haberet locum, cum semper pauperes sint, & reparatio Ecclesiæ frequenter instituatur. Neque ratio de pauperibus & templo quidquam evincit, cùm res donata câ lege transierit in Ecclesiam, ut, si satisfactum non esset modo adjecto, revocaretur donatio. Quæ satisfactio intelligitur debere fieri per eos, qui donationem hac lege acceperunt.

In Cap. ultimum.

SUMMARIA.

1. *Conditiones aliæ honestæ, aliæ turpes.*
2. 4. *Conditiones turpes sive inhonestæ quæ.*
3. *Matrimonii bona, fides, proles & Sacramentum.*
5. *Conditiones turpes contra substantiam matrimonii illud vitiant, aliæ rejiciuntur.*
6. *Rejiciuntur & impossibiles, quasi non adjectæ.*
7. *Idque in foro exteriori, non interiori.*

1 Conditiones, quæ matrimonio adjiciuntur, aut honestæ sunt, aut inhonestæ, sive turpes. Honestæ sunt, veluti si dicam, *Contraho tecum matrimonium, si pater consenserit*, vel *si decem dederu*, de quibus latè diximus ad Rubr. hujus Tit.

2 Turpes sunt, quæ turpitudinem sive inhonestatem in se continent, de quibus hoc cap tractatur. Et harum quædam sunt contra substantiam, id est, naturam ipsius matrimonii, ut si ita contrahatur: *Contraho tecum, si generationem prolis evitaveris*, vel *si pro quæstu adulterandam te tradideris*, vel *donec inveniam aliam honore aut facultatibus ditiorem, text. hic & in can. Solet, can Aliquando* XXXII *quæst.* 2. Dicuntur autem hæ conditiones contra substantiam vel naturam matrimonii, quòd scilicet adversentur tribus bonis, quæ in omni matrimonio
3 contrahendo occurrere solent; * ut sunt fides, proles, & Sacramentum, *can. Omne itaque* XXVII. *quæst* 2. *& d. can. Solet & c. Aliquando* Per *fidem* intelligimus fidem conjugalem, quæ in eo vertitur, ne alter conjugum alteri tertio potestatem faciat sui corporis, propterea quòd sacris literis proditum sit: Et erunt duo in carne una, *Genes. c.* 2. *in fine & ad Ephes. c.* 5. *in fine.* Per *prolem* studium procreandæ prolis, *d. can Aliquando.* Per *Sacramentum* intelligimus individuam conjugum conjunctionem, ne scilicet alter alterum deserat. Et enim hæc tria in quovis matrimonio contrahendo necessariò requiruntur, saltem quoad intentionem contrahentium, licet tacitam; cùm quilibet censeatur contrahere secundùm naturam ipsius contractus, *l Quare* 56 §. *inter locatorem D. Locat & l Quidam cum filium* 132. *D. De verb. oblig.* Dixi, in matrimonio contrahendo; secus ubi contractum est matrimonium: nam tunc si quid contra hæc tria eveniat, non ideò rescinditur matrimonium; neque enim propter adulterium aut vitationem prolis, vel ob divortium postea intercedens, matrimonii vinculum dissolvitur, *can. Si uxorem cum c seq.* XXXII *quæst.* 5. Vide quæ latiùs dicuntur inf *sub tit. De divort.*

Quædam verò sunt conditiones turpes, quæ 4
non pugnant contra substantiam sive naturam matrimonii, sed ex alia causa turpitudinem in se continent: veluti, *Contraho tecum, si Titium occideru, si furtum, vel aliud delictum perpetraveris, text. hic.*

Igitur inter prioris generis conditiones turpes 5
& posterioris hoc discriminis est, quòd illæ matrimonium prorsus vitient; posterioris non item, sed rejiciantur, tam quam non fuissent matrimonio adjectæ. Et ratio in illis est, quòd unumquodque à suo contrario corrumpatur, sicut docent Philosophi, & probat juris regula *in cap. Omnis res inf. De reg. jur.* At verò adulterium, vitatio prolis procreandæ, & matrimonii dissolutio ex mente contrahentium concepta contraria sunt tribus bonis matrimonii suprà enumeratis. Ergo, &c. Nam & ob eamdem causam accidit, quòd, licet conditio de non procreanda prole à con-

contrahentibus adjiciatur zelo conservandæ virginitatis vel castitatis, puta, *contrahо tecum, ut vivas mecum in perpetua virginitate, vel castitate*, nihilo magis sit matrimonium, quemadmodum contra Paludanum eleganter defendit Did. Covarr. *in IV. Decretal parte 2. cap. 3 §. 1.* In aliis verò conditionibus turpibus, quæ non pugnant cum substantia matrimonii, dictat favor matrimonii, ut eæ potiùs rejiciantur, quàm infirment matrimonium, *per textum nostrum in c. sup. eod.* Cùm enim hæ conditiones turpes accipi possint, vel ut seriò adjectæ à contrahentibus, ita quòd non velint esse matrimonium nisi impleantur, vel non seriò, id est, non obligandi animo: sacri Canones in dubio eam interpretationem potiùs sumunt, quæ favet matrimonio, hoc est, ut non obligandi animo adjectæ intelligantur, *per text hic in fine.*

6 Idem judicium est de conditionibus impossibilibus, veluti, Si cælum digito tetigeris, si hodie Romæ eris, *per eumdem textum in fine.* Accedat argumentum deductum ab ultima voluntate, quæ cùm & favorabilis sit, *d. c fin & l. Si pars judicantium D. De inofficioso testam* similem interpretationem à jure recipit, ut conditiones in ea adjectæ turpes vel impossibiles rejiciantur, & habeantur pro non adjectis, *l. 1 l Conditiones 14 D. De condit. institut. & §. impossibilis Instit. De hæred instituen* Secus est in aliis contractibus, qui vitiantur per adjectionem turpis vel impossibilis conditionis, *l Non solum 30 D De actionib. & obligat. & § si impossibilis & ibi Dd. Instit. De inutil. stipul.* Nec enim in his idem favor militat, *c. Cùm dilecti 6. in fine sup De donat.*

Atque hæc quæ de conditione turpi vel im 7
possibili à matrimonio rejicienda diximus, locum obtinent in foro exteriore: non verò in foro interiori, id est conscientiæ; in hoc enim ea interpretatio cessat, & statur soli veritati, *cap. Tua nos 26 sup. De sponsal.* ac proinde si is, qui conditionem adjecit, nó aliter se obligare voluit quàm eveniente conditione, non tenebitur in foro conscientiæ, propter defectum consensus conjugalis, quem in eventum conditionis contulit. Ita rectè Did. Covarr. *d p. 2. cap. 3 §. 2 num. 6.* ex sententia Medinæ & Paludani, Navarr. *in Manuali cap. 22. num. 66.* & Greg. de Valentia *tomo 4 Contr Theolog. disp. 10 quæst. 3 puncto 3. vers sed vera.* Sed in foro exteriore idem dicendum est, si de mente contrahentium certò constat, se non aliter in matrimonium consentire, quàm si conditio turpis vel impossibilis evenerit, aut si uterque putaverit conditionem honestam, vel possibilem fuisse, quæ alioqui turpis vel impossibilis est. Et ratio est, quòd enim turpes & impossibiles conditiones à matrimonio rejiciantur, id fit, quòd Canones in dubiis præsumant non seriò, id est, animo dubitandi à contrahentibus adjectas fuisse. At ubi de mente contrahentium aliter constat, meritò cessat hujusmodi præsumptio *arg l. Si chirographum 24. D. De probationibus.* cùm in certis nullus sit conjecturæ locus, *l Continuus 137. §. 2. in fine D. De verb. obligat.*

IN TIT. VI. QUI CLERICI VEL VOVENTES MATRIMONIUM CONTRAHERE POSSUNT.

SUMMARIA.

1. *Clerici majorum Ordinum contrahere matrimonium non possunt.*
2. *Contractum tamen ante susceptionem Ordinis non dissolvitur.*
3. *Votum solemne Religionis matrimonium ante contractum dissolvit.*
4. *Matrimonii significatio duplex.*
5. *Votum castitatis solemne & simplex.*
6. *Cur illud impediat contrahi matrimonium; hoc quidem etiam impediat, contractum tamen non dirimat.*
7. *In votis dispensat S. Pontifex.*

TOtus hic Titulus ut & inscriptio ipsa indicat, differit de Clericis & aliis, qui extra clericatum continentiam voverunt, quatenus scilicet ad contrahendum matrimonium admittantur.

Duplex genus est Clericorum Alii in majoribus Ordinibus constituti sunt, alii in minoribus. In majoribus sunt, Subdiaconus, Diaconus, Presbyter & Episcopus. Reliqui verò, ut sunt Ostiarius, Lector, Exorcista, & Acolytus, minorum ordinum dicuntur. His quidem permissum est contrahere matrimonium, illis non item, *text. est c. 1. & c. 2 in s h tit c 1. sup. De Cler conjug can. Si quis eorum, can Lectores, can. Seriatim dist. 32.* Cujus diversitatis ratio hæc est, quòd Clerici maiorum

sive sacrorum Ordinum ex constitutione sive decreto Ecclesiæ solemne votum castitatis Ordinibus suis annexum habeant, quod matrimonium postea contrahendum non tantùm impedit, sed & contractum dirimit, *cap. unico De voto lib 6. & dictis jam jurib.*

2 Dixi, postea contrahendum; nam si matrimonium præcesserit, per susceptionem sacri Ordinis non dissolvitur matrimonium, etiamsi carnis copulâ non sit consummatum; sed cogitur idem redire ad uxorem, cum qua antea matrimonium contraxerat, *juxta text in c unico De voto in Extravag. Ioannis XXII.*

3 Ubi notanda est differentia inter votum solemne per ingressum Religionis, & votum solemne per susceptionem sacri Ordinis; nam utrumque votum solemne dicitur, *in d c unico De voto lib 6.* quòd scilicet votum solemne religionis matrimonium antè contractum infirmet & dissolvat, dummodò non sit matrimonium per concubitum consummatum, *c. 2 & c Ex publico 7 sup. De convers conjugat.* Votum verò solemne per receptionem sacri Ordinis non item dissolvat matrimonium antea contractum, *d. c unico De voto in Extravag. Ioan XXII.*

4 Cujus diversitatis ratio ut rectiùs intelligatur, sciendum est, matrimonium habere duplicem significationem: unam, quâ designatur invisibilis illa gratia sive conjunctio Christi cum anima fideli, juxta illud D. Pauli, 1 *ad Corinth. 6. c. Qui autem adhæret Domino, unus spiritus est.* Alteram, quâ significatur conjunctio Christi cum Ecclesia, secundùm illud *Ioan. 1 cap. Et verbum caro factum est, & habitavit in nobis.* Atque prior illa conjunctio referenda est ad matrimonium ratum, id est, nondum copulâ carnis consummatum: posterior ad consummatum matrimonium, prout interpretatur Innocent. III. *in c. Debitum 5 sup. De bigamus.* Unde fit, quòd matrimonium tantummodò ratum dissolubile sit, eò quod conjunctio illa inter Christum & animam fidelem, quam designat, sit dissolubilis, puta per peccatum: non item matrimonium consummatum, propter unitatem carnis, quæ intercedit per consummationem inter virum & uxorem. *Erunt*, inquit textus, *duo in carne una, 2. cap. Genes. & ad Ephes 5.* Quò pertinet & illud apud Matthæum *c 19 Quos Deus conjunxit, homo non separet.* Quare mirum non est, matrimonium ratum tantùm auctoritate sacrorum Canonum dissolvi per ingressum Religionis, *d c. 2. & d. c. Ex publico 7*, item per dispensationem summi Pontificis ex justa causa, *juxta Glos. in d. c. Ex publico*, quam Glóss. singularem & à Canonistis receptam testatur Mart. Navarr. *in Manuali cap. 22 num. 21.* Nullibi verò permittunt sacri Canones, ut per susceptionem sacri Ordinis etiam non consummatum dissolvatur. Quo argumento usus est Joannes XXII *in d c unico in Extravag.*

Nunc de voventibus videamus, quæ est altera pars hujus Tituli nostri. Intelligimus autem per voventes eos, qui Deo castitatem suam voverunt: alioquin etiam latiùs patent, ut videre est *subtit. sup De voto & apud Sylvest. in V Votum.* Est autem duplex votum castitatis: unum solemne, alterum non solemne seu simplex. Votum solemne dicitur, quod solemnizatum est (utor verbis textus) per susceptionem sacri Ordinis, aut per confessionem expressam vel tacitam factam alicui de Religionibus per Sedem Apostolicam approbatis. Non solemne, sive simplex est quodcumque aliud votum castitatis, *text. est in c. unico De voto lib 6.*

In his igitur votis id discriminis est, quòd qui solemni voto alligati sunt, non solùm matrimonium contrahere non possint, verùm etiam, si contraxerint, matrimonium nullius prorsus momenti sit. Qui verò non solemni sed simplici voto obstricti sunt, impediuntur quidem matrimonium contrahere, propterea quòd peccent contra illud. Vovete & reddite Domino Deo vestro, *Psalm. 75. citatur & in c. Magnæ 7. sup De voto:* non verò matrimonium contractum dirimit, ita permittente Ecclesiâ ex justa causa, *c. 3 cum seq. inf hoc tit & c unico eod. lib 6.* Quod mirum videtur, cùm votum non solemne non minùs obliget apud Deum, quam solemne, *ut inquit text in c. Rursus 6. hoc tit.* Verùm differentiæ ratio in eo consistit, quòd in voto non solemni sive simplici nulla sui ipsius traditio fiat, sed tantùm obligatio oriatur: in voto verò solemni præter obligationem traditio sui ipsius interveniat in manus superioris, qui vice Dei est, & in perpetuum ejus obsequium eam recipit. Jam verò certum est, traditione sui ipsius factâ uni, alteri eamdem fieri non posse ab eodem; & consequenter corpus mancipatum semel divino servitio non posse alteri in alium usum communicari per matrimoniũ. Quod non est in voto simplici, in quo tantùm sui ipsius obligatio est, non traditio, ac proinde alteri ex nova obligatione traditio fieri potest. *Ita ex sentent. D Thom. Bonavent & aliorum Theolog.* Bellarm. *tom. 2. controver. de matrimonii Sacram. lib. 1 cap. 21 & optimè*

optimè confirmat text. in l. Quoties 15, C. De rei vindicat.

Atque ex his facilè aperitur sensus omnium capitulorum hujus Tit. quæ ideirco sigillatim non explicamus. Nisi quòd una restet difficultas *in cap Veniens 5*, quo permittitur mulieri matrimonium, quæ alioqui simplici voto adstricta erat. At peccatis, qui matrimonium contrahit post votum licet simplex à se emissum, ut antè probavimus ex Psalmographo: *Vovete & reddite Domino Deo vestro.* Sed respondetur, id fieri ex dispensatione summi Pontificis per delegationem factâ. Idque justa causa, eò quòd mulier de qua *in d cap Veniens*, voto neglecto illicitos concubitus meditabatur.

7 Dispensare autem posse summum Pontificem in voto simplici à nemine in controversiam vocatur. Imò & in voto solemni id posse facere summum Pontif. ex receptiore sententiâ probat Greg. de Valentia *tomo 3, Comment Theolog. disput. 6, quæst 6, puncto 7.* Ut tamen in solemni voto dispensationis causa sit honor Dei, & major Ecclesiæ utilitas, & ita maius bonum ex dispensatione exspectetur. Et certè si voventis animum rectè exploremus, non ejus fuit voluntatis, neque etiam ipsius Dei recipientis votum, ut per hujusmodi votum majus bonum impediretur, *facit text. in can fin* XVII. *q.* 1.

Nec movet texsus *in c Cum ad Monasterium 6, in fine sup. De statu Monach* ubi planè negat summus Pont. cum Monacho dispensari posse circa votum castitatis: quia is textus exaudiendus est de Monacho, quatenus in monachatu perseverat, ut is scil. uxorem ducere non possit: quia adversatur tribus votis substantialibus monasticæ Religionis, puta paupertatis, obedientiæ & castitatis: non autem negat summus Pont. Monachum auctoritate sua posse ex monachari, id est, à tribus illis votis absolvi. ex sententia veriore Vincentii & Joannis *in Glos in d cap. Cum monasterium & latè persequitur* Gregor. de Valent. *jam citato loco.*

IN TIT. VII. DE EO QVI DVXIT IN MATRIMONIVM, QVAM POLLUIT PER ADULTERIUM.

SUMMARIA.

1. *Adulter, uxore suâ defunctâ, an adulteram ducere possit?*
2. *Et quid si uxor necdum à marito suo cognita fuerit?*
3. *Quid si à marito suo separata quoad torum?*
4. *Sponsa defuncta rectè cum altera contrahitur cognita antea.*
5. *Quid si, vivente prima uxore, quis dederit fidem alteri, quam non cognovit; deinde uxore mortuâ, duxerit aliam; & cognoverit inde eam, cui fidem dederat, an hanc ducere, mortua secunda uxore, poterit?*
6. *Vivente uxore cum altera contrahens eamdem ducere, uxore defuncta non prohibetur.*
7. *Vt & quam vivente uxore sine fidei datione cognovit.*
8. *Adulter, qui in mortem mariti adultera conspiraverit, non potest eam uxorem ducere.*
9. *Conspiratio hæc cum effectu accipienda.*
10. *Et facta causa matrimonii contrahendi.*
11. *Quid si adulterio admisso postea uxorem ex alia causa occiderit, an adulteram ducere possit?*
12. *David, occiso Vria, Bersabeam in uxorem duxit.*
13. *Liberi ex damnato concubitu nati alendi à patre, ex jure Canonum: & quid hodie in terris Imperii obtineat.*

HIc Tit. latiùs patet, quàm habet ejus inscriptio. Nec enim tantùm agit de adulterio, verùm etiam de homicidio, quatenus scil. utrumque matrimonio contrahendo obsistit. Explicabo autem capitula non sigillatim, & ex ordine, sed permixtim uno quasi contextu, sicut & præcedente Tit. à me factum est. Ac priùs de adulterio, postea de matrimonio disseremus, & certis conclusionibus rem totam complectemur.

Prima conclusio est: Si vir superstite uxore 1
sua aliam in uxorem duxerit (intellige de facto, cùm nemo duas uxores simul habere possit, *c. Gaudemus 8, inf. De divort.*) vel se ducturum ei promisit, & pollutio, id est, commixtio corporum antè vel pòst intervenerit, non potest vir post mortem prioris uxoris secundam retinere, vel de novo cum eadem contrahere matrimonium, *per tex. in c 3, 5, & ult. h. tit.* Estque hoc impedimentum non solum matrimonii contrahendi, sed & contracti dirimendi inter adulterum vel adulteram propter enormitatem delicti, quod hac spe-

cie committitur, cùm non tantùm adulterium committatur, sed & votum captandæ mortis alterius conjugum inducatur, quod utroque jure prohibitum est, *l fin C. De pactis, & c 2, sup. De concess præb.*

Quod tamen ita exaudiendum est, si uterque contrahentium sciverit priorem uxorem adhuc superstitem esse; secus, si secunda uxor ignoraverit. Quo casu in arbitrio ignorantis erit, mortua priore uxore, eumdem virum in matrimonium repetere, atque adeò eum cogere, ut in matrimonium consentiat, *c 1, & c Veniens 7, h tit.* Nec enim secundæ mulieri ignorantia sua, quæ bona fide egit, nocere debet, neque viro patrocinari fraudandi animus, *d c 1. & cap Sedes 15, in fine sup. De rescript.* Sed & ignorans intelligendus est toto tempore prioris uxoris: nam si posteriori uxori scientia prioris, quòd scilicet ea adhuc superstes sit, supervenerit, & copula cum eadem subsecuta fuerit, nihil tunc proderit ignoranti, utpote quòd jam adultera facta sit, *d cap ult hoc t.* Panorm. *ex Dd sententja ad d. c. 1, num. 3, circa fin eod.* Adulterium enim à sciente, non ab ignorante admittitur, cùm dolus in eò requiratur, *l. penult. C. Ad L. Iuliam de adult can In lectum & ibi Glos. XXXIV q 2.*

Eadem observanda sunt ex parte mulieris, ubi ipsa, marito suo superstite, alteri nubit, *per text. in can Relatum XXXI q 1, & can. Denique ead. qu. 1,* si lectionem ibidem negativam sequamur, ut habet D. Augustinus, ex quo *d c Denique* desumptus est: nam pari ratione adulterium in utroque sexu condemnatur, *can ult XXXII q 5.*

2 Disputant Dd. An hoc idem impedimentum nascatur, si nondum uxor à marito suo cognita sit? Sunt qui existimant, ducti, ut videtur, hac ratione, quòd nondum una caro facti sint per copulam, possitque alter eorum, invito altero, Religionem ingredi, & ita dissolvere matrimonium, *c. 2, c Expublico 7 sup. De convers. conjugat.* Sed horum sententia ab Innoc. & communi Dd. calculo explosa est, teste Præposito *in d. cap ult.* Et ratio est, quòd in adulterio sufficiat solam etiam fidem conjugalem violari, *d cap. L iscretionem 6, De eo qui cognovit consang. uxor. suæ,* Navar. *in Manuali c 22, num. 46, vers alterum* † Imò licet prior uxor

3 à viro suo separata esset, quoad torum vel cohabitationem. Navar. *jam d. loco, per text. in d cap. Significasti & in c. Ex literarum h. tit* cùm nihilominus inter priores conjuges perseveret vinculum matrimonii, *can. 1, cum c. seq. XXIII. quæst. 7,* ac proinde adulterium cùm altero tertio admitti dicitur, *d c Discretionem.* Aliud verò, si nullum subesset matrimonii vinculum, etiamsi putaretur prior uxor, *c. 2, h. t.* Navar. *d vers alterum.* Non enim præstat impedimentum, quod de jure non sortitur effectum, *c Non præstat De R. I. lib. 6,* † 4
Item diversum est in sponsa, cum qua nullum adhuc matrimonium, sed sponsalia tantùm contracta sunt: nam cùm sponsalia per subsequens cum alia matrimonium ipso jure tollantur, *c Sicut 22, c. Si inter 31, sup De sponsalib.* non potest dici adulterium cum secunda admitti: cùm adulterium non nisi in nuptam propriè committatur, *l. Inter liberas 6, §. 1, l. Stuprum 34, D Ad leg. Iul de adul. & l. Inter stuprum 101, D De verb. signif.*

Sed fingamus, Titium, vivente Mævia uxore sua, aliud matrimonium promisisse vel contraxisse cum Sempronia, nulla tamen interveniente copula, postea verò Mævia mortua, rursus aliam duxisse in uxorem, puta Seiam; quod jure facere potuit, cùm secundum matrimonium cum Sempronia nullius momenti sit, propter impedimentum prioris matrimonii. Quo facto prius cognoscit Semproniam. Hic quæritur, an mortua Seia Titius possit contrahere matrimonium cum Sempronia? Eadem quæstio est de uxore eodem modo contrahente. Negant Joan. Andreæ, Cardinalis, & Phil. Francus. *in d c ult inf h. t prout eos citat ibid.* Panorm. *& additio ad eumdem Panormit.* Qui tamen contrarium tenet, & quidem rectiùs: quia contrahendo cum Seia ultima uxore sua, censetur recessisse à contractu vel promissione facta Sempronia, & consequenter tantùm modò adulterium admisit cum Sempronia, quod solum absque matrimonio vel sponsalibus sufficit ad impediendum matrimonium, *c. Significasti 6, h. t.* & dicam latiùs in secunda & tertia conclusione. Vide quæ habet Præpositus *ad d c. ult num 4.*

Secunda conclusio est. Si vir, vivente uxore 6
sua, aliam in uxorem acceperit, aut data fide acceptum promiserit, nulla tamen cum hac secunda intercesserit copula; non prohibetur vir, priore uxore defuncta, cum secunda matrimonium contrahere, *per text in d. cap ult h tit* Neque hoc casu distinguitur, uterque vel alter sciverit, aut ignoraverit priorem conjugem superstitem esse. Præpos. *ad rubr. h tit.* Nam ad hoc impedimentum inducendum duo conjunctim requiruntur, adulterium scilicet & matrimonium de facto contractum, sive data fides de contrahendo, *per text in d. cap. ult & tradunt ibi Glos. caterique Dd. teste ibid.* Hostien. *num 4,* qui præterea duo alia requirit,

quirit, videlicet quòd in priore matrimonio non subsit canonicum impedimentum, & quòd in posteriori mala fides non intervenerit. Sed de utroque jam antè disseruimus in prima conclusione, quando diximus, in posteriore matrimonio requiri utriusque scientiam, quòd scilicet alter contrahentium habeat aliam uxorem superstitem, & sic mala fide cum secunda contraxerit, deinde quòd prius matrimonium verum & legitimum fuerit, nullo subsistente canonico impedimento.

7 Tertia Conclusio est, quæ tamen ex jam dictis deducitur: Si vir, superstite uxore sua, aliam mulierem cognoverit, nullis tamen sponsalibus aut contractu matrimonii intercedente, non prohibetur idem vir post mortem uxoris suæ contrahere matrimonium cum ea secunda muliere, quam si cognovit, *per tex. in c. Significasti 6, h. t. can. Denique* XXX. *q.* 1.

Neque his obstat textus *in can* 1, *ead quæst* 1. ubi his verbis inquit Leo Papa: *Nullus ducat in matrimonium, quam polluit per adulterium.* Idem repetitur *in can. Illud d. quæst.* 1, *& in cap.* 1, *& cap. Cum haberet* 5, *h. tit.* quasi solum adulterium sufficiat, absque alio contractu, ad inducendum hoc impedimentum. Non inquam obstat. Nam his textibus non prohibetur præcisè adulter contrahere matrimonium cum adultera, defuncto marito adulteræ, sed ne id faciat ante peractam ab eo pœnitentiam adulterii à se admissi. Ita enim interpretatur Gratianus noster *in d. can Illud §. hic subaudiendum, & confirmat textus in can. Si quis vivente* XXXI *q* 1 Quare alienum est, quòd Dd nostri dictionem, *maximè*, positam in *d cap.* 1, *h t.* exponant pro, *tantùm*, quasi textus velit tantummodò eo casu matrimonium esse interdictum inter adulterum & adulteram, ubi simul & contractus matrimonii, vel data fides contrahendi matrimonii inter eos intercessit. Quæ interpretatio etsi in se vera sit, non tamen convenit jam dictis textibus, præcipuè *in d. c. Cùm haberet.* Unde magis puto adhærendum esse Gratiani explicationi, jam antè dicto loco. Atque hæc de adulteriis.

8 De homicidio sit hæc conclusio: Si vir cum aliena muliere in mortem mariti sui conspiraverit, non potest eamdem in uxorem ducere, *probat. tex in c. Laudabilem sup. De converf. in fidel.* idque adeò, licet adulterium non intercesserit, ex sententia Joan. Andr. quam & sequitur Panor. *ad d. c.* 1, *num.* 3, *circa fin. h. t per tex in d. c. Laudabilem*: hac tamen adhibita distinctione, ut, si adulterium intervenerit, non requiratur necessaria utriusque conspiratio, sed sufficiat, vel alterum tantummodò machinatum fuisse mortem conjugi, *c.* 1, *ibi, vel quæ machinata est, c.* 3, *&* 6, *h. t. & probant.* Joan. Andr. Panorm. *communiter receptus, teste* Navarro *in Man c.* 22, *num.* 46, *confirmat & apertus textus in d. can. Si quis vovente* XXXI, *q.* 1.

Debet tamen hæc conspiratio sive machinatio cum effectu accipi, ita quòd mors subsecuta fuerit, sicut tradunt Glossa, Panorm. & communiter Dd teste Præposito, refragantibus licet Innoc & Hostiensi, *ad d c.* 3, Et ratio est, quia verba cum effectu accipienda sunt, *per text in l* 1, *§. hæc autem verba D. Quod quisque juris.* Præterquam ubi conatus pro effectu accipitur, ut quibusdam casibus à jure expressis, veluti in crimine læsæ majestatis, *l Quisquis C. Ad L. Iul majest.* & in homicidio, *l.* 1, *D. Ad L. Corn de sicar* & nonnullis aliis, sicut videre est in Glossa, & apud Dd. *ad d §. hæc autem verba.* 9

Deinde hæc conspiratio sive machinatio intelligi debet, si causa matrimonii contrahendi facta sit, non si in bello, aut ex odio, aut ex alia ratione, *d. c. Laudabilem & c.* 3, *h. t. & ibi Gl. reliquique Dd. teste* Præpos. *ibidem.* 10

Unde quæsitum est de hac facti specie: Titius uxorem habens, adulterium cum Mævia admittit, his verbis additis, quòd, si uxorem non haberet, vellet eam in uxorem ducere Postea verò accidit, quòd Titius uxorem suam interfecerit, non quidem prospectu matrimonii contrahendi, sed ex alia causa. Hic, inquam, quæsitum est, an Titius eamdem Mæviam in uxorem possit accipere? Negat Card. quem citat & tacitè sequitur Præpositus *ad d c.* 3, hac ratione moti, quòd ubi adulterium intervenit, minimè attendatur, quo proposito machinatio mortis intentata sit. Et facit pro hac sententia textus *in d. c. Significasti* 6, *h. t.* quo permittitur matrimonium inter adulterum & adulteram, dummodò alter eorum mortem non sit machinatus conjugi suæ, vel fidem non dederit adulteræ de contrahendo inter se matrimonio. Ergò à contrario sensu, si machinatus sit mortem conjugi (ut hoc casu nostro) non poterit inter adulterum & adulteram legitimè contrahi & consistere matrimonium. 11

Sed contrà putat Gasparus Calderinus, quem citat eodem loco Præpositus, & quidem rectius, quòd scilicet inter eos legitimè contrahi possit matrimonium, cum in hoc casu nulla fidei datio de matrimonio contrahendo intercesserit, neque

am-

matrimonium inter eos de facto contractum sit. Alterum enim horum, ut matrimonium propter adulterium impediatur, necesse est interveniat, *c. fin h t.* propter homicidium verò, ut, matrimonii contrahendi causâ cum alio, mors illata sit conjugi, ut antè diximus *ex c. Laudabilem sup. De conver. infidel.*

12 Cæterum contra hoc impedimentum obiicitur nobis exemplum Davidis, qui Bersabeam uxorem Uriæ à se priùs adulteratam, deinde, occiso à se Uria, Bersabeam in uxorem duxit, sicut tradit sacra historia, 2, *Reg cap* 11, Sed respondetur, hoc impedimentum non extitisse tempore veteris Testamenti, quo hic casus accidit, sed ab Ecclesia sub lege Christianâ introductum esse. Nam & pleraque alia permittebantur in vetere Testamento, quæ hodie per novam legem abrogata sunt, ut sunt libellus repudii, polygamia: item quòd quis potuerit uxorem fratris sui sine liberis discedentis ducere, *Deuter.* 25, *cap.* aliaque ejusdem generis.

13 Ad extremum singulariter notandum *ex d. c. Cùm haberet* 5, *h. t.* liberos ex damnato concubitu natos, esse alendos à parentibus suis, contra juris Civilis rigorem, *in Auth Ex complexu C. De incestis & inutilibus nupt.* quâ prohibentur tales filii aliâ parte.

Sed hîc quæstionis est, An in terris Imperii standum sit huic juri Canonico, an potiùs Civili? Dubitationem mover, quòd ubi jus Canonicum à jure Civili dissidet, utrumque in suo foro servandum sit, Panorm. *ad c* 1, *num.* 7, *inf. De operis novi nuntiat. & ad c. Ecclesia S. Mariæ nu.* 14, *sup. De constit.* Siquidem inter se distinctæ sunt jurisdictio Ecclesiastica & civilis, neque altera alteram impedit, *c. Novit.* 13, *sup De judic. & can. Duo sunt dist.* 69.

In hac igitur quæstione Joan. ab Imola existimat juri Civili standum esse. E contrà And. Gail. ex communi Dd sententia, *lib* 2, *Observ.* 88, quo loco dicit, in utroque foro servandum esse jus Canonicum, maximè si aliunde non habent liberi unde vivant. Et ratio est, quòd sicut patri permissum non est occidere filium spurium, ita nec alimenta ei denegare, quia ea denegans necare videtur, *l Necare D. De liberis agnosc.* Nam & suadet æquitas, ut ii, quos parentes in lucem produxerũt, ab iisdem quoque alimententur, jure quodam naturali, *l.* 1, *circa fin. D. De just & jure*, ne frustra in lucem editi videantur; cùm & D. Augustino teste, semen ex quocumque homine profectum, Dei creatura sit, *can Undecumque* 56, *dist.* ita quod rectè dixerit Baldus, *consil.* 46, *num.* 10, *vol.* 5, jus civile in tantum amasse castitatem, ut destruxerit paternam pietatem. Quare & hanc posteriorem sententiam secutam esse Cameram Imperialem tradit And Gail *loco cit num.* 12.

IN TIT. VIII. DE CONIVGIO LEPROSORVM.

SUMMARIA.

1. *Matrimonium à leprosis rectè contrahi.*
2. *Lepra superveniens an matrimonium dissolvat.*
3. *Matrimonium ignoranter cum leprosis contractum an teneat?*
4. *An conjuges post lepram supervenientem obligentur ad debitum & obsequia conjugalia.*
5. *Vxor an teneatur sequi maritum peregrinantem?*

HIc Titulus tribus capitulis constat, quæ & uno contextu explicabo.

1 Et inprimis certi juris est, à leprosis contrahi posse matrimonium, *c.* 2. *vers. leprosi h t.* cùm nullo jure prohibeantur. At in matrimoniis pro regula est, omnes posse matrimonium contrahere, quibus non est à jure interdictum, *c. Cùm apud sedem* 23, *sup. De sponsal.*

2 Sed quid si constante matrimonio, utrique vel alteri conjugum lepra supervenerit? Non ideo tamen dissolvitur matrimonium, neque ob id separari possunt, *c.* 1, & 2, *h tit.* ubi & duplex ejus ratio redditur Prior est, quòd cùm una caro facti sint, sine altero alter esse non debeat. Altera, quòd neminì licitum sit relinquere conjugem suam, exceptâ fornicationis causâ, ut & ipse Christus apud Matth. c. 19, docet. Quare idem retinetur & in furore, & in aliis morbis, qui post contractum matrimonium accidunt, *can. Hi qui sacramentum cum duob seqq.* XXXII. *q.* 7 adeò licet matrimonium carnis copulâ nondum sit consummatum Non enim ideo magis propter lepram supervenientem dirimitur matrimonium, *per text in c. Quemadmodum* 5. *sup. De jure jur.* Panorm & Præpos. *ex communi Dd sententia ad c. ult h. t* Et ratio est indissolubile vinculum matrimonii, quod vel solo consensu contrahitur, sicut constat ex definitione matrimonii, *c. tit. Instit. De patr. potest in pr. junctal. Nupt D. De R. I.* vide quæ latius dicã inf *t. De divort.*

Non

Non obstat textus *in d. c. 3*, qui videtur innuere, quòd propter lepram dissolvatur matrimonium ante consummationem. Sed rectè respondet ibidem Panorm. quod verbum, *consummatum*, in *d. cap. 3*, largè sumatur, scilicet ratione consensus, cùm per consensum de præsenti matrimonium dicatur consummari quoad sui essentiam. In sponsalibus verò de futuro, ut appellamus, receptum est, ut ea propter lepram supervenientem alteri contrahentium rectè dissolvantur, etiamsi juramento confirmata, *d. c Quemadmodum & cap. ult. h. t.* non quidem ipso jure, sed petente altero conjuge, qui immunis est à lepra: nam si hoc nolit, debet & potest nihilominus inter eos contrahi matrimonium; siquidem hæc dissolutio sponsalium propter lepram introducta est in favorem non ipsius leprosi, sed ejus, qui sanus est, *c Quod ob gratiam De R. I. lib. 6, & l Quod favore 5, C. De legib.*

3 Disputant Dd. Si quis ignorans cum leproso, vel alio morbo implicito, contrahat matrimonium, non aliàs contracturus, si præscivisset, an valeat matrimonium? Resp. quòd sic. Etenim error in qualitate non vitiat matrimonium, *caus. XXIX. q. 1, latè* Covarr. *in IV. Decretal p. 2, cap. 3, §. 7*, nisi circa statum personæ erratum sit, putans me contrahere cum libera, quæ reverà serva est, *de quo inf. tit prox.* Et hoc quod attinet ad forum externus; secus quoad forum Dei sive conscientiæ, in quo matrimonium ex vero consensu metimur, non ex errore, qui consensui contrarius est, *per text. in cap. Tua nos 26, sup. De sponsal. l. Si per errorem 15, D. De jurisdict.*

Sed & illud controvertunt Dd. An post lepram supervenientem teneantur conjuges ad mutuam cohabitationem? Negant Glossa & Innoc. *hic ad c. 1*, dum tamen leprosus vel leprosa debito conjugali non fraudetur, ad quod sanus sanave præcisè compelli potest, petente altero, *per text. in c. 1, h. t.* Cuius decisio videtur inniti auctoritati D. Pauli, 1, *ad Corinth. 7*, ubi his verbis inquit D. Paulus: *Vxori vir debitum reddat: similiter autem & uxor viro. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir: similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.* Hæc D. Paulus. A qua D. Pauli sententia leprosi non excipiuntur, *per text. in d. cap. 2*. Amplius verò censet Panorm. *d. cap. 1*, præter debitum conjugale, obligari quoque utrumque ad præstanda mutua obsequia conjugalia, *per text. in d. c. 1, in verbis, & eis conjugali affectione ministrent. Facit tex. in l. Si cùm dotem 13, § si autem D. Soluto mat.* & Dixi antea, petente altero; nam si non petatur, judex tergiversantem adigere non potest ad reddendum debitum conjugale, & ad mutua præstanda obsequia, cùm judex officium suum ad utilitatem sive usum privatum impartiri non debeat, nisi imploratus, *l. 4, §. hoc autem judicium D. De damno infecto*; præterquam si uterque vel alter eorum propter incontinentiam suspectus esset. Hoc enim casu à judice sollicitè commonendi sunt, ut se mutuò patiantur, & si non paruerint, injungendum ipsis, ut uterque altero vivente cõtinentiam servet, & demum si contumaces perseveraverint, vinculo excommunicationis constringantur, juxta decisionem *c. 1, hoc nost. tit* Quæ sententiâ Panormitani ita exaudienda est, & concilianda cum decisione *c. 2, ejusd. tit.* quæ alioqui sibi invicem adversari videbantur.

Postremò movent hic Interpretes, An uxor teneatur sequi maritum suum peregrinantem, sive aliò sedem, id est, domicilium suum transferentem? Et certè primâ fronte, si D. Pauli verba antè allata spectemus, videtur id fieri non posse invitâ uxore, cùm maritus potestatem corporis sui non habeat, sed uxor, & è contrà. Attamen verius est, quòd possit, *can Vnaquæque XIII. q. 2*, Unaquæque mulier (inquit textus) sequatur virum suum, sive in vita, sive in morte. Est enim uxoris subesse, non præesse marito, nullamque in eum auctoritatem habet, *can Cùm caput, & can. Mulierem XXXIII. q. 5*, Nam & teste Jurisconsulto Hermogeniano, mulier est in officio mariti, *l. Sicut 47. D. De operis libertor.* Quod tamen non aliter accipiendum est, quàm si ex honesta causa maritus id faciat, non si temerè recedere vel divagari velit, *Glos. ad can. Si quis necessitate XXXII. q. 2*, nec enim malitiæ mariti indulgendum est, *l. In fundo 99, vers. neque D. De rei vindic.* nisi fortè uxor in initio contractus matrimonii sciverit maritum esse vagabundum: quo casu sibi imputare debet uxor, quòd cum tali viro matrimonium contraxerit, *l. Quod quis ex culpa D. De R. I.*

Nec obstat sententia D. Pauli antè recitata. Ea enim aliter accipienda non videtur, quàm quoad debitum conjugale, quod alter alteri conjugum subtrahere non debet, ac proinde si sine justa causa recedere velit maritus, constringi poterit per judicem, ut maneat, & ita debitum conjugale reddat. Sin ex justa causa, ut uxor maritum sequatur, reddendi debiti causâ. Vide quæ eleganter tradit Did. Covarr. in 4. Decretal *p. 2, c. 7, ante § primum.*

IN TIT. IX. DE CONIVGIO SERVORVM.

SUMMARIA.

1. *Servorum conjugium licitum.*
2. *Modò quis sciens cum servo vel serva contraxerit.*
3. *Cur secus obtineat, ubi circa qualitatem alicujus erratum est.*
4. *Partus an & quatenus ventrem sequatur.*

1 EX hoc Tit. constat à servis rectè contrahi matrimonium, contra præscriptum juris Civilis, quo servis interdictum est matrimonium, eò quòd non sint cives Romani, *l. 3, C. De incest & inutilib nupt junctò tit. Instit. De nupt in pr.* sed jure civili pro mortuis habentur, *l. Quod attinet & l. Servitutem D. De R. I.* Contrà verò esse jure Canonico patet *ex textu nostro hic & xxix. q. 2, per tot.* Cujus ratio hæc redditur, quòd sicut in Christo non est liber neque servus, sed omnes in eo unum sumus, teste D. Paulo *ad Galat. cap 3, in fine*, ita & Sacramenta Ecclesiæ utrique communia sint, etiamsi dominus servi vel ancillæ refragetur, *c. 1, inf. h. t.* Non tamen ob id servi potestate dominicâ liberantur, sed ad debita & consueta servitia compelluntur, *d. c. 1*, Ubi verò dominus consentit hujusmodi matrimonio, servi quoque non tantùm liberi, sed & ingenui efficiuntur, ex Justiniani constitutione, *in Novel. 22, de nupt. § si verò decretum vers. si verò abinit.* Loquimur verò de servis Christianis, qui scil. baptizati sunt, quales sunt in justo bello capti, vel cùm alias servi essent baptizati. Cæterùm si nondum Sacramento baptismatis initiati sint, ad Ecclesiam sive jus Canonicum non pertinent, atque idcircò subsunt dispositioni juris Civilis, *c. Gaudemus 8, inf. De divort.*

2 Atque hæc exaudienda sunt, ubi quis sciens alterius servitutem, cum eodem vel eadem matrimonium contrahit. Secus, si ignorans, propter errorem, *c. 2, c. 4, inf. h. t.* qui consensum excludit, *l. Si per errorem 15, D. De jurisdict.*

3 Sed cur non idem est, ubi circa qualitatem erratum est, veluti si quis cum ea contrahat, quam falsò existimavit esse divitem vel nobilem, vel virginem, vel bonam, vel aliam ejusdem generis: non enim propter hujusmodi errorem matrimonium infirmatur, ut dictum suprà, *ex can. xxix. q. 1*, Cov. *in 4, Decret. p. 2, c. 3, §. 7, n. 2*, Ratio diversitatis est, quod error cōditionis, quâ quis servus vel serva est, concernat essentialia matrimonii. Cùm enim servus vel serva potestatē sui corporis nō habeat, utpote subjectus, subjectave dominio vel potestati domini sui, non potest usum corporis sui liberum alteri communicare & tradere: quod non est in errore aliarum qualitatum. Nec movet, quòd in contrahente scienter etiam usus matrimonii impediatur; cum contrahens id sibi imputare debeat. Quia, si comperto errore superveniat novus consensus matrimonialis ejus, qui ignorabat alterius servitutem, reconvalescit matrimonium, quod antea nullum erat, puta si servus carnaliter servam cognoscat, vel aliter in eam explicet consensum suum matrimonialem, *c. 2, c. 4 inf h t.*

4 Illud verò ex *cap 3, inf eod.* annotandum est, quòd etsi partus ventrem sequatur, quoad libertatem vel servitutem, ut *inf tit. prox.* latius dicetur: nihilominus id aliter accidere potest, vel ex lege vel consuetudine provinciæ, ut partus non ventrem, sed patrem sequatur, hoc est, ut si pater sit servus, & liberi ejus sint servi: sin liber, itidem & liberi sui sint liberæ conditionis, non attenta conditione matris, an hæc libera vel serva sit. Idem est, si elapsum sit tempus quinquennii post defunctum patrem, qui liber quidem fuisse dicebatur, sed post mortem de libertate ejus quæstio movetur: nam cum de defunct. statu, id est, utrū liber vel servus discesserit, post quinquennium quæri non oporteat, *l. 1, & passim C. Ne de statu defunctor*, &c. frustrà contenditur, utrum liberi ex parte vel matre serva nati sint. Nec obstat textus *in d. cap 3*, qui decennii meminit; quia ita de facto decennium excurrerat post mortem defuncti, non quòd neget quinquennium sufficere, juxta *d. tit. C. Ne de statu defunctor.*

(o)

IN TIT.

IN TIT. X. DE NATIS EX LIBERO VENTRE.

SUMMARIA.

1. *Nati ex libero ventre matrem sequuntur quoad statum.*
2. *Quoad familiam inspicitur conditio patris.*
3. *Nati ex libero & serva an patris familiam sequantur.*

1 HIc Tit. unico Cap. constat, tueturque filios ex libera vel liberta matre natos, ne in servitutem trahantur. Siquidem partus ventrem sequitur, quod attinet ad statum libertatis, vel servitutis, etiamsi pater alterius conditionis sit, *Instit. De ingenuis & l. Partum 7, De rei vindicat.* Unde cùm liberi ex matre libera vel liberta mea ingenui nascantur, rectè hoc textu statuitur, nullo eos quoad statum incommodo afficiendos esse, nisi lege provinciæ, vel municipali, vel consuetudine loci aliter receptum esset, ut liberi patrem, non matrem sequerentur, prout sup. tit. proximo dictum est. Nam certum est, juri communi, quo partus ventrem sequitur, per contrarium statutum loci vel consuetudinem derogari posse, sicut tradunt Dd. *ad l. Omnes populi D. De instit. & jure, & ad c. fin sup. De consuet.*

2 Dixi, quo ad statum; secus quoad familiam & dignitatem, in quibus patris conditio inspicitur, non matris, ubi scil. ex legitimo matrimonio liberi nati sunt, *per text. in l. Cum legitima 19, D. De statu hom. juncta ibid. Glos.* Nam si nati sint extra matrimonium, sequuntur matrem, quoad originem & libertatem, *d. l. Cum legitima l. Vulgo 23, D. eod t. De statu hom. & l. 1, in fine D. Ad municipal.*

3 Sed quæstionis est, cùm de jure Canonum inter liberum & servam consistat matrimonium, uti sup. tit. proximo diximus; an liberi ex eo matrimonio nati patris familiam ac dignitatem consequantur. Quod putat Palæotus *in tract. de Nothis spuriisque filiis c. 15*, argumento ducto a conjugatis. Nam, inquit, si justum est matrimonium inter servos, certè & justos liberos oriri necesse est. Tales enim filii sunt, quales nuptiæ. Sed rectius contrà videtur sentire Hostiens. *in Summa t. de servit. & servo*, ubi apertè asserit, quòd filii servorum susceptri ex legitimo matrimonio, liberi non sint, nec pro talibus habendi quoad ordines, neque quoad hæreditates: adde neque quoad familiam & dignitatem, cùm ipsi filii servi sint, utpote ex ancilla sive serva matre nati, *§. servi Instit. De jure person.*

Nec obstat argumentum Palæotti non enim negatur, ex matrimonio justo nasci justum filium, sed non idcircò semper liberos, nisi cùm mater ipsa libera est. Secus, si ipsa ancilla, id est, serva sit, licet pater sit liberæ conditionis; eò quòd partus ventrem sequatur, ut antè probatum est. Nam cùm ipsi servi parentes per matrimonium à servitute non liberentur. *c. 1, sup. tit. prox.* quomodo dicemus liberari filios? & jus auferri domino, quod auctoritate juris habet in filios servæ, videlicet ut filius natus ex servâ sit etiam servus, *d. § servi?* Quare ubi mater est serva, sunt & filii servi, licet ex legitimo matrimonio nati; & consequenter patris familiam & dignitatem non consequuntur. E contra est, ubi mater libera est, & pater servus, ut filius pro libero censeatur, adeoque quòd & hic ad ordines Ecclesiasticos rectè admittatur, *c. fin. sup. De servis non ordinan.* Non tamen ob id familiam patris sequitur, cùm servi nullam familiam habeant; neque etiam sequitur familiam matris, cùm à matre nulla familia descendat, sed est tantummodò finis & principium suæ familiæ, ut loquitur Jurisc. *in l. Pronuntiatio 195, in fine D. De verb. signif.*

Una exceptio ad hunc textum nostrum traditur, *ex can. Cum multa xv. q. 8*, quo filii ex libera, quam loco uxoris habuit Episcopus, Presbyter, Diaconus, fiunt servi Ecclesiæ, cujus pater ministerium obivit. Idque in detestationem incontinentiæ patris; licet Glossa ibidem dicat hanc exceptionem in dissuetudinem abiisse. Sunt verò & aliæ exceptiones, ut videre est in *Glos. Instit. De ingen. & apud* Bartol. *ad l. Ne diutius 20, C. De agricolis & censitis lib. 11.*

IN TIT. X. DE COGNATIONE SPIRITVALI.

SUMMARIA.

1. *Cognatio spiritualis quæ & unde contrahatur.*
2. *Inter quos quoad impediendum & dirimendum matrimonium.*
3. *Impedimentum hoc restrictum per Conc. Trid.*

COgnatio triplex est: aut est spiritualis, aut legalis, aut naturalis. De spirituali hoc Tit. de reliquis agitur Titulis tribus sequentibus.

1 Spiritualis cognatio hoc nomine inscribitur, quòd ea contrahatur ratione Sacramentorum, quæ spiritualia sunt; non quidem omnium, sed dumtaxat Baptismi & Confirmationis, *c. ult. eod. t. lib. 6*, Etenim per Baptismum spiritualiter renascimur, & per Confirmationem perfectiores reddimur Christiani, *can 1, & 2, de consecr dist. 5*, Ut igitur per naturalem nativitatem naturalis cognatio nascitur, *de qua inf. tit. De consanguin & affin.* ita per spiritualem, cognatio spiritualis. Atque hujus spiritualis cognationis quoque mentio fit apud Justinianum *in l. Si quis alienam 26, circa fin. C. De nupt* imo apud D. Paulum, *in epist. ad Rom. 16, cap. in vers. Salutant vos Timotheus &c.* si ibidem Origenem antiquissimum Interpretem sequamur.

2 Ac inprimis hæc cognatio spiritualis contrahitur, quoad impediendum & dirimendum matrimonium, inter patrem naturalem & matrem baptizati, & suscipientem è baptismo, tamquam patrem spiritualem, qui & idcirco Compatres appellantur, si quidem vir sit suscipiens; sin mulier, dicitur Commater, *cap. Veniens 6, inf. h. t. & c. 1, eod. tit. lib. 6*, Non autem contrahitur inter eorum liberos utrimque excepto tamen eo, qui baptizatus est, qui tantummodò prohibetur contrahere matrimonium cum liberis suscipientis, quasi inter se jam frater & soror sint, *c. 1, c. 3, & c. 7, h. t.* vel nisi consuetudo Ecclesiæ Metropolitanæ, vel aliarum circumjacentium Ecclesiarum prohibeat hujusmodi liberos utrimque conjungi, quam servandam esse docet textus *ind. c. 2, & 3.*

Item contrahitur hæc spiritualis cognatio inter patrem naturalem baptizati & suscipientis filios & uxorem, dummodò hæc à marito suo antea cognita fuerit, alias secus, *per text in c. Martinus 4, h. t. & d c. 1, eod in o, in can Scisciantur & c. Si quis ex uno xxx q. 4*, In uxore ratio est, quia cùm per carnis copulam maritus & uxor una caro facti sint, necesse est, quòd eadem paternitas, quæ in marito est, in uxorem quoque transfundatur. In filiis verò suscipientis rationem jam antè diximus, quòd scilicet sibi invicem sint frater & soror. Item contrahitur eadem cognatio spiritualis inter baptizantem, ejusque filios & baptizatum, *d c. 1, in 7, & c. fin h tit.*

Ex Confirmatione quoque spiritualis cognatio iisdem modis contrahitur, matrimonium similiter impediens contrahendum, & contractum dirimens, *c. 1, §. ex confirmatione eod tit. lib. 6*, Et hæc quoad jus Decretalium.

Cæterùm Concilium Trid. nonnihil restringit hoc impedimentum spiritualis cognationis. Cujus verba hic placet subiicere: Sancta Synodus statuit, ut unus tantùm, sive vir sive mulier, juxta sacrorum Canonum instituta, vel ad summum unus & una, baptizatum de Baptismo suscipiant; inter quos, ac baptizatum ipsum & illius patrem & matrem, nec non inter baptizantem & baptizatum, baptizatique patrem ac matrem tantùm spiritualis cognatio contrahatur. Et paucis interjectis: Ea quoque cognatio, quæ ex Confirmatione contrahitur, confirmantem & confirmatum, illiusque patrem & matrem ac tenentem non egrediatur: omnibus inter alias personas hujus spiritualis cognationis impedimentis omninò sublatis, *textus est Conc. Trid Sess. 24, c. 2, de reform. matrim.* Ex quibus constat, quæ diximus de filiis suscipientis & uxore, item de filiis utriusque compatris, abrogata esse.

IN TIT. XII. DE COGNATIONE LEGALI.

SUMMARIA.

1. *Cognatio legalis quæ.*
2. *Quamdiu duret.*
3. *An aquè ex adoptione atque arrogatione nascatur?*

4. Ma-

4. *Matrimonium an rectè contrahatur inter patrem & filiam adoptatam?*

HOc Tit prohibetur matrimonium inter filiam adoptatam & filium naturalem adoptantis, eò quòd loco fratris & sororis sibi
1 invicem sint. * Igitur inter eos cognatio est, quæ legalis dicitur, propter adoptionem, quæ à legibus civilibus inventa & introducta est, *§ sed si qua Instit. De nupt. & in l. Per adoptionem* 17. *D De ritu nupt.* hoc verò Titulo nostro recepta & comprobata. Adeò quòd & hæc cognatio hoc jure nostro non solùm matrimonium impediat contrahendum, sed & contractum dirimat. Id enim apertè indicat textus noster, in verbis, *Nuptia consistere non possunt.*

2 Intelligitur autem hæc cognatio durare, quamdiu durat adoptio, hoc est, quamdiu manet in potestate ejus, à quo est adoptatus in filium vel filiam, nepotem vel neptem. Cæterùm si ab eo emancipatus fuerit, vel aliis modis exierit è potestate patris adoptivi, *de quib. sub tit. Inst Quib. mod jus pat potest sol.* non impeditur filius naturalis sorosem adoptatam in uxorem ducere, cùm jam soror esse desierit, *text hic, à contrario sensu, in verbis. quamdiu durat adoptio, & d. §. sed si qua, & in d. l. Per adoptionem*, quasi sublatâ causâ cesset effectus, *l Cùm cessante* 60 *sup. De appellat.*

3 Quæ utique vera sunt in arrogatione, quæ adoptionis species est, cùm scilicet quis sui juris ab alio adoptatur; nam hic transit in potestatem adoptantis. Sed controversum est, an idem juris sit in adoptato, qui non transit in potestatem adoptantis, ut est filius, vel filiafamilias, qui quæve à patre suo alteri extraneo datur in adoptionem, *l. penult. C. De adoption. & § sed hodie Instit. eod.* Quod putat Panorm. *hic* & communiter Dd. teste Did. Covarr. *in lib. IV. Decretal. p. 2 c. 6 §. 5. num. 2.* Contra verò rectius censent Innocent. & Domin Soto *in IV, Sententiar. dist. 42. quæst. 2 art 1. §. unica hic, vers quale.* Etenim si potestas patria est causa, ne inter filium naturalem & filiam adoptatam possit consistere matrimonium, *ut hic, juncto d. § sed si qua*, non video, cur cum ea, quæ in potestate non est, non possit consistere matrimonium. Qua ratione nec inter illegitimum filium & filiam adoptivam prohibetur matrimonium, ex sententia ejusdem Innoc. *hic.*

Sed an matrimonium rectè contrahatur inter 4
patrem & filiam adoptatam? Minimè, ne quidem inter utriusque ascendentes & descendentes, neque inter adoptatum & adoptantis uxorem, & inter uxorem adoptati & adoptantem, etiam dissoluta adoptione: quia parentum & liberorum loco sunt, *can Ita diligere* xxx. *quæst* 3 *§. ergò Instit. De nupt & l Adoptivus* 4. *D. De ritu nupt.* Navarr. *in Manuali c* 22. *num.* 44. Et quamvis hæc non tam apertè probentur jure Canonico, quod in rebus matrimonialibus sequi solemus, *c. penult & ult. inf. De secund. nupt.* tamen satis constat ex ratione, *d. can Ita diligere.* Et hac in re stare nos debere legibus civilibus, quæ inter prædictos matrimonium non admittunt. Vocat enim venerandas leges Romanas, quæ inter naturales & adoptivos filios matrimonium prohibent. Non tamen idem dicendum est, quoad alias leges Civiles, quæ de matrimonio disponunt, veluti inter pupillam & tutorem, *tit C. De interd matrim. inter pup.* & similes leges, quæ idcirco inter Christianos non obtinent, quod à jure Canonum non sint approbatæ & receptæ. Panorm. *hic ad Rubr.*

IN TIT. XIII. DE EO, QUI COGNOVIT CONSANGUINEAM UXORIS SUÆ VEL SPONSÆ.

SUMMARIA.

1. *Consanguinei & affines qui dicantur.*
2. *Affinitas contracta ex copula cum consanguinea uxoris quid operetur.*

1 HOc Titulo & sequenti agitur de cognatione naturali, quæ oritur inter cognatos & affines. Cognati sive consanguinei dicuntur, qui ejusdem sanguinis communione inter se conjuncti sunt. Affines verò, qui ratione concubitus cum consanguineo vel consanguinea sua, uti infra Tit proximo latiùs explicabitur.

Igitur hoc Titulo disputatur, quid juris sit, si 2
quis cognatam uxoris vel sponsæ suæ cognoverit. Ut autem summatim rem totam comprehendam, affinitas contracta ex copula cum consanguinea uxoris meæ non dirimit matrimoniũ ante contractũ, sed sponsalia. Interim hæc copula efficit quo ad conjuges, ut vir nõ possit petere debitũ

conjugale ab uxore sua, propter affinitatem subsecutam, nec post mortem uxoris suæ aliud matrimonium contrahere; idque in pœnam hujus incestus. Intellige de ea consanguinea, quæ in quarto consanguinitatis gradu uxori conjuncta est. Nam ultra affinitas non porrigitur, *c. Non debet & ibi dicam latiùs inf. De consang. & affinit.*

In Cap. 1. junctis cap. 4. 6. 10. & 11.

SUMMARIA.

1. *Affinitas ex concubitu cum filiastra inter quos impediat contrahi matrimonium.*
2. *Incestus est impedimentum impediens.*
3. *Incestum ignoranter committens non prohibetur contrahere.*

1 SI quis (inquit cap. 1.) *cum filiastra sua scienter fornicatus fuerit, nec à matre debitum petere, nec filiam umquam potest habere uxorem.* Per filiastram intelligit textus privignam, id est, filiam uxoris ex alio viro susceptam, *can. De hu. xxx. quæst. 1.* Ratio hujus est affinitas, quæ ex concubitu cum filiastra jam nata est inter virum & uxorem, quæ debitum ab uxore tamquam ab affine prohibet petere, *text. hic & in c. 6. & 10. inf. eod.* Additur in viro, quòd is, mortuâ uxore suâ, aliud matrimonium contrahere non possit, non tantùm cum filiastra sua, sed nec cum quavis alia muliere, *per eum text.* Idem constitutum est in eo, qui novercam suam vel sororem uxoris suæ cognovit, *can. Concubuisti cum c. seq. xxxii. quæst. 7.* Hujus ratio est enormitas criminis incestus, quod committitur inter cognatos & affines, *can. De incestis, can. Nec eam xxxv. quæst. 3. l. Sororis 39. D. De ritu nupt. & l. Si adulterium 38. D. Ad L. Iul. De adult.* Sed & eadem pœna statuta est in ipsam filiastram, aliosque incestuosos, *per hunc text. in c. 1. in fine & in can. Quidam, cum quinque seqq. xxxii. quæst. 7.*

Existimat tamen Glossa *ad hoc c.* 1. licet incestuosi matrimonium contrahere non possint, valere tamen matrimonium, si contractum fuerit, *idem* Præpos. & Host. *hic & confirmat text. in c. 4. inf. eod.* Quo fit, ut incestus sit tantummodò impedimentum matrimonium, ut loquimur, impediens, non autem contractum dirimens. Vide latiùs Navarr. *in Manuali c. 22. num. 74. & 75.* Quæ profectò obtinent, etiamsi vir cum uxore suâ matrimonium nondum consummaverit, *c. 6. inf. eod.* Item licet vir post mortem uxoris suæ incestum admiserit, *c. 4. inf. eod.*

Loquimur autem de viro, qui prudens & sciens incestum commisit; secus, si per ignorantiam, veluti si cum sorore conjugis, vel cum alia consanguinea, quam putabat esse uxorem suam, *per text. in can. In lectum xxxiv. quæst. 1.* Et hæc ignorantia per juramentum probanda est, *d. can. In lectum.* Cùm enim delicta æstimentur ex animo & proposito delinquentis, *c. Cum voluntate 54. in pr. inf. De sent. excommunicat. & l. Qui injuria 55. in pr. D. De furtis*, meritò ignorantia excusationem meretur, *cap. 2. sup. De cognat. spirit.*

In Cap. Veniens 2.

SUMMARIA.

1. *Matrimonium legitimum propter affinitatem supervenientem non dissolvitur.*
2. *Secus sponsalia de futuro.*

1 MAtrimonium etsi legitimè contractum, propter affinitatem supervenientem (quæ & per illicitum concubitum contrahitur, *c. 6. & c. 10. inf. eod.*) non retractatur, *d. c.*
2 *6. 10. & 11. hoc eod. tit.* † Secus tamen est in sponsalibus, quæ de futuro appellamus, quæ per affinitatem subsequentem ipso jure dissolvuntur, *text. hic.* Cùm enim sponsus affinis fiat sponsæ propter commixtionem corporum cum ipsius consanguinea, & sic affinitas inter eos oriatur, quæ matrimonium non admittit, *ut inf. tit. prox. latiùs dicetur*, necesse est, sponsalia, quæ futuri matrimonii causa contrahuntur, ipso jure irritentur, *l. Oratio 16. D. De sponsalib.*

Cæterum difficultas est in fine textus nostri, quo sensu exaudienda sint hæc verba: *Cæterùm si sponsam cognovit, antequam matrem, vel post, numquam eam vel aliam potest accipere uxorem.* Mirum videtur, quòd, cùm per concubitum sponsi cum sponsa transeant sponsalia in matrimonium, ubi ante ma-

matrem eam cognovit, *c. Is qui fidem 30. sup. De sponsal.* non possit eamdem sponsam accipere, id est, retinere in uxorem: siquidem, ut antè diximus, propter affinitatem supervenientem matrimonium non dissolvitur. Sed respondetur, prædictorum verborum hanc esse sententiam, ut, si cognoverit filiam priùs quàm matrem, in uxorem accipere matrem non possit, propter affinitatem: neque eamdem filiam potest accipere uxorem, quantum attinet ad exactionem debiti conjugalis, quia illud amisit sponsus cognoscendo matrem. Interim verè constat & perseverat inter ipsos matrimonium. Butr. & Panormit *hic.* Sed quod additur, vel aliam non poterit accipere uxorem; hoc ideo, propter incestum cum matre admissum: cujus hæc pœna est, quòd incestuosus prohibeatur in posterum contrahere matrimonium, sicut supra diximus *ad cap* 1. Incestuosi verò uxor diligenter moneri & induci jubetur, ut continentiam servet, hoc est, à marito debitum non exigat, ne videatur ab affine exigere. Si tamen induci non potest, uxori relinquitur potestas petendi debitum, quod maritus exactus denegare non poterit. Nec enim uxor innocens jure suo privanda est, *c. 6 pen. & ult inf eod.* Neque factum alterius alteri nocere debet, *l. Non debet alteri D. De R. I.*

In Cap. De illo 3. & c. Super eo 5.

SUMMARIA.

1. *Affinitatis impedimentum quomodo probandum.*
2. *Confessione in jure factâ quando nihil amplius quæri dicatur.*

1 EX hoc Cap. discimus, matrimonium non ideo dissolvi oportere, quòd frater uxorem fratris sui ante contractum matrimonium asserat se cognovisse. Allegat hic igitur frater impedimentum affinitatis, quod & ex illicito concubitu nascitur, *c. 4 c pen & ult. hoc tit.* cùm non minùs illi, qui illicitè coëunt, unum corpus fiant, quàm qui licitè contracto matrimonio, *can. In eo XXXII. quæst. 4 & 1. ad Corinth. 6. cap.* Verùm meritò rejecta est hoc textu nostro assertio fratris: si quidem hoc jure non sufficit nuda assertio, sed probatione opus est. Ei enim incumbit probatio, qui dicit, non qui negat, *l 2. D. De probationib.*

Sed statuamus maritum & uxorem idem asserere, quod frater mariti. Videtur quidem primo aspectu tunc matrimonium dirimendum esse, cùm post confessionem in jure, id est, in judicio factam, nihil amplius quæratur, sed confessi pro judicatis habeantur, *l. Post rem 56. D De rejud juncta l. unica C De confess.* Sed & hoc casu contrà responsum à Cælestino III. *in cap. Super eo 5. hoc tit.* quòd nec ex hujusmodi confessione conjugum matrimonium dissolvi debeat: ne hac ratione via aperiatur dissolvendi matrimonium, fortè inter se colludentibus marito & uxore, *facit text. elegans in l. Non nudus 14. C. De probat.* Quod & adeò obtinere censet Cælestinus, etiamsi rumor vicinæ idipsum confirmet. Nam rumor plerumque incerto auctore provenit, & dictum unius facilè sequitur multitudo, ut eleganter inquit textus *in r. Cùm in juventute 12. inf. De purgat. canon.* ideoque ad hanc affinitatem probandam idoneis testibus opus est, aut quòd ea notoria sive manifesta sit: nam manifesta non indigent probatione, *can. Manifesta & can. De manifesta 11. quæst. 1. c Quoniam sup. De filiis presbyter cap. Tua nos sup De cohabitat. Cleric.*

Non obstat, quòd post confessionem in jure 2
factam nihil quæratur amplius, *d l Post rem*, quia id verum est in iis, quæ ex confessione partium pendent. At matrimonii dissolutio non dependet ab hominibus, sed à Deo: quos enim Deus conjunxit, homo separare non potest, *can Quos Deus XXXIII. quæst. 1.* Quâ ratione fit, ut etiam sententia pro vel contra matrimonium lata non transeat in rem judicatam, *c. Lator 7 & ibi latiùs inf. Qui filii sint legit.*

Ubi verò de matrimonio contrahendo agitur, vel unius dictum, vel fama loci sufficit, ut propter consanguinitatem interdicatur matrimonium, *per text. in cap Præterea 11. sup. De sponsal. & in c. 1. inf tit prox.* Idque ad vitandum periculum, quod fortè subesse posset, si tamquam consanguinei vel affines inter se contraherent & quia res modici præjudicii est. Panorm. *hic ad cap. 2.*

IN TIT.

IN TIT. XIV. DE CONSANGUINITATE ET AFFINITATE.

SUMMARIA.

1. *Consanguinei qui dicantur.*
2. *Fratres consanguinei, uterini & germani.*
3. *Consanguinitas quid.*
4. *Affinitas quid, & unde oriatur.*

1 CONsanguinitatis nomen latè patet hoc jure nostro, complectiturque omnes eos, qui sanguine inter se connexi sunt, *can. Nullum & can. de propinquitate* XXXV. *quæst.* 2. etiamsi ex injusta conjunctione parentum sint nati, *c. Per tuas* 10 *sup. De probat.* aliter de jure civili, quo consanguinei dicuntur, qui inter se fratres sunt, vel sorores. Reliqui dicuntur agnati vel cognati, *l.* 1. §. *consanguineos cum l. seq. D. De suis & legit.* §. *vulgo In-*
2 *stit. De success. agnat.* * Quamvis hodie solemus vocare fratres consanguineos, qui eumdem patrem sed matrem diversam habent: Uterinos, qui eamdem matrem, sed diversum patrem habent: Germanos verò fratres, qui eodem patre, eâdemque matre nati sunt. Et quamvis omnes homines totius mundi secundùm significationem juris Canonici videri possent inter se consanguinei, utpote qui à primo parente Adamo descendamus, sacri tamen Canones infinitam illam consanguinitatem non attendunt, sed quatenus ea impedit matrimonium contrahendum. Quod tum accidit, quando contracturi intra quartum consanguinitatis gradum sunt constituti, non si ultra hunc gradum sint, *c. Non debet pen. h. tit.* Nam putant virtutem sanguinis, quem à communi parente traxerunt, ad quartum usque gradum perdurare, & quodammodò extinctum esse in iis, qui quinto consanguinitatis gradu à se invicem distant, ut latiùs dicetur *inf. eod. ad d. c. Non debet.*

Unde consanguinitas his verbis rectè delibitur, quòd sit vinculum personarum ab eodem stipite propinquo descendentium, vel quarum una descendit ab alia carnali propagatione: Covarr. *in IV. Decretal. parte* 2. *cap.* 6. §. 6. *num.* 1. Nec dubium est, consanguinitatem rectè dici vinculum, cùm & vinculum matrimonii rectè dicatur, *l. Miles* 11. § *mulier D. Ad leg. Iul. de adulter.* item vinculum affinitatis, *l. Si tutor* 9. *D. De suspectis tutor.* 3

Affinitas verò est jus quoddam necessitudinis, quo inter se conjuncti sunt uxor & consanguinei mariti, & è diverso maritus & consanguinei uxoris, quasi per affinitatem una consanguinitas ad alterius finem accedat, *l. Non facile* 4. §. *affines D. De gradib. & affinib.* In quo tamen hoc observandum est, quòd de jure civili affinitas non oriatur nisi ex justis nuptiis, *d. l. Non facile* §. *affines & sciendum.* Aliter de jure Canonico, quo ex qualibet conjunctione etiam injusta affinitas nascitur, *c. Discretionem* 6. *& c. penult. inf. tit. prox.* Quia jus Canonicum respicit saltem commixtionem corporum, sive ea legitima sit, sive illegitima, cùm per utramque una caro fiat vir & mulier, *can. In eo* XXXII. *quæst.* 4. *& 1. ad Corinth.* 6. Nonnumquam affinitatis nomen producitur ad consanguineos, ut etiam ii, qui affines sunt, proximi sive consanguinei dicantur, *l. Sancimus* 21. *C. De pœnis, & can.* 1. XXXV. *quæst.* 2. Verùm non propriè dicitur, sed vulgari more loquendi, *per text. in can. Quod autem frater* XXXV. *quæst.* 5. sicut etiam hodie usitatum est inter Italos. Jam textum ipsum exordiamur.

In Cap. primum.

SUMMARIA.

1. *Facti species.*
2. *Testi injurato non creditur.*
3. *Matrimonium intra quartum affinitatis gradum contractum dissolvendum.*
4. *Etiam ex causa justitiæ publicæ honestatis orta ex matrimonio non consummato.*
5. *Testes in hac causa qui adhibendi.*
6. *An post publicata testimonia iterum produci possint.*
7. *Testes omni exceptione majores sint.*
8. *Judices causarum matrimonialium qui.*

FActi species hæc proponitur. Vir quidam 1
contxerat secretò matrimonium cum quadam vidua, datâ ipsi arrhâ. Cùm autem publicè id testari vellet in conspectu Ecclesiæ, duo intervenerunt, objicientes hos inter se matrimonium contrahere non posse, quòd vir priorem maritum viduæ quarto consanguinitatis gradu attigisset. Et quidem unus eorum id juramento suo confirmavit, alter noluit jurare. Quo factum est, ut sententia in suspenso hæserit, † quia injurato testi non creditur, *c. Nuper* 51 *sup. De testib. & l. Iusjurandum* 8. *C. eodem tit. De testib.* Sed postea eadem quæstio revixit, duobus aliis jurantibus,

quòd

quòd prior maritus viduæ fuerit huic viro in quinto consanguinitatis gradu conjunctus. Hac de re consultus Alexander III. mandat Cassiensi Abbati, ut testes ad se convocet, juratos audiat, & si compererit legitimè, quòd quarto consanguinitatis gradu se invicem contingebant, divortii sententiam inter eos pronuntiet. Postea subjicit idem Alexander III. quòd causæ matrimoniales non sint tractandæ per quosliber, sed per judices discretos, qui potestatem habeant judi-
3 candi, & statuta Canonum non ignorent.

Itaque ex hoc textu constat, matrimonium intra quartum affinitatis gradum contractum dissolvi debere. Idem statuitur *in c. Non debet* 8, *hoc tit.* Et ratio est, quòd æquè abstinendum est à consanguineis viri, sicut à propriis, & è contrà, propter carnis unitatem, quæ antè intercessit cum priore marito per utriusque copulam, *can. Nullum in utroque, can Pœnaliter cum duob. seqq. xxxv. quæst 3. & text. hic.*

4 Sed quid si carnis copula cum priore marito nondum intercesserit? Hoc casu etsi nulla affinitas contracta sit (siquidem ea oritur ex sola conjunctione carnis, *d. can Nullum in utroque & ibi Glos. & cap. Discretionem 6, sup. proximo tit.*) nihilominus ex alio capite prohibentur contrahere matrimonium, propter publicæ honestatis justitiam, quæ & ex matrimonio non consummato nascitur, *d. cap. Discretionem, Glos. ad d. can. Nullum in utroque*, Panorm. *ad c. Sponsam sup. De sponsalib* Covarr. *in 4, Decretal. parte 2, cap. 6, §. 7, n. 2, &* 3, videlicet ad quartum gradum inter consanguineos viri & mulieris; licet publicæ honestatis justitia, quæ ex sponsalibus de futuro exsurgit, primum tantummodò afficiat, non secundum, aut ulteriorem, ex dispositione Concilii Trid. *Sess 24, c. 3, de reformat matrim & fusius docuimus ad c. Iuvenis sup De sponsal.*

5 Illud eleganter ex hoc textu nostro notat Panorm. *hic num.* 6, quod ubi agitur ad impediendum vel dirimendum matrimonium, propter impedimentum canonicum, eosdem, qui denuntiant, vel accusant, posse esse testes, contra textum *in can. Nullus umquam IV. q. 4*, quo prohibentur iidem esse accusatores & testes simul. Sed id verum est, quando de commodo accusatoris, vel incommodo accusati agitur. At hoc textu nostro agitur de vitando peccato, quod oritur ex illicito matrimonio, *c Non debet inf. eod facit c. In omni 4, sup. De testib. ubi & id fusius persequitur* Panorm.

Adde aliud singulare, quòd hic post publicationem testium iterum testes produci possint, 6
contra textum *in § quia verò circa fin Novel. de testib. in c. 2, eod tit. in Clement.* quibus post publicationem testimoniorum factam non admittitur productio aliorum testium in eadem causâ, propter timorem subornationis, ut ait *textus in d. cap 2*, Sed singulare est in hoc textu, cùm agatur de separando matrimonio: nam cùm ipsa quoque sententia contra matrimonium lata, vel etiam pro matrimonio, ubi scilicet revera subest impedimentum canonicum consanguinitatis, affinitatis, vel simile, non transeat in rem judicatam, sed semper adhuc novæ probationes induci possint, *c Lator & c. Consanguinei 11, sup De sentent & re jud.* multo magis poterunt post publicationem, antequam sententia lata sit, *ut hic, de quo latius* And. Gail *lib 1, obser. 112.*

Requiritur tamen, ut hi testes sint omni exceptione majores, hoc est, nullâ exceptione legitimâ repelli possint à dicendo testimonio, *Glos. hic, quam notandam censet hic* Panormit. & Præpos. Et inter hos etiam sunt parentes, & his deficientibus proximiores cognati, qui & extraneis testibus præferuntur, cùm hi magis genealogiam suam, quàm alii perspectam habeant; licet in aliis causis contra fit, in quibus parentes & liberi non possunt sibi invicem esse testes, *c. 3, inf. Qui matrim accusare poss. can. 1, & 2, xxxv. q 6, junctâ l Testis 9, D. De testib. & l. Parentes 5, C. eod. tit. De testib.* 7

Ultimò observandum est hoc textu nostro in fine, causas matrimoniales per judices discretos & peritos esse tractandas, qui non nisi Ecclesiastici esse possunt *c. 2, sup. De jud Conc. Trid Sess. 24, de Sacr. matr. can ult* qui hodie soli sunt Episcopi, ex decreto Conc. Trid. *d Sess 24, c. 20, §. ad hæc de reformat* nam olim etiam alii poterant matrimonii causas cognoscere, qui scil id vel ex privilegio, vel legitima præscriptione acquisiverant, *c. Accedentibus 12, in fine inf De excess. Prælat.* Sed id sustulit Conc. Trid. solummodò permittens Episcopo cognitionem causarum matrimonialium, *d. §. adhæc, juncto §. fin. ejusd c. 20.* 8

Non tamen tenetur ipse Episcopus per se hanc cognitionem suscipere & exercere, sed poterit etiam per alium, *c Cùm Episcopus 7, De officio Ordin. in 6*, veluti est Officialis vel Vicarius ejus. Cujus cùm idem sit cum Episcopo consistorium, & ab eo non appelletur ad ipsum Episcopum, sed

ad Archiepiscopum, censentur eadem persona Episcopus & ejus Officialis sive Vicarius, *text. eleg. in capite secundo, De consuetudine lib. 6.*

In Cap. Super eo 2.

SUMMARIA.

1. *Sponsalia propter supervenientem affinitatem dissolvuntur, etiam ex sola fama.*
2. *Secus in matrimonio dissolvendo: & ratio diversitatis.*

CIrca hoc Cap. non est quòd diu immoremur. Tantùm deciditur, sponsalia, quæ appellamus de futuro, dissolvi propter affinitatem, quæ secuta est ex concubitu sponsi cum consanguinea sponsæ, adeò etiamsi concubitus manifestus non sit: adde nec legitimè probatus sit per testes, sed saltem fama loci id ha-
2 heat.* Diversum est, si ageretur de matrimonio dirimendo, propter affinitatem præcedentem: nam hac specie non sufficeret fama viciniæ, sed legitimâ probatione opus esset, *c 3, sup. tit prox.* ubi rationem hanc attulimus in sponsalibus, ut periculum avertatur, ne si inter se contrahant matrimonium, fortè sibi invicem affines sint: idcoque propter famam viciniæ, vel etiam ob unius dictum prohibetur inter eos matrimonium. At in matrimonio dissolvendo ex causâ allegatæ affinitatis non sufficit fama viciniæ aut dictum unius, sed legitimâ probatione opus est, *d.c 3, & 5, sup. De eo qui cognovit consang* cùm res sit majoris momenti, atque idcirco cautiùs tractanda, *c.3, De elect lib.6, l.1, §. sed & si quis D. De Carbon. edicto.*

Quid autem juris sit, ubi sponsus & sponsa, non obstante prohibitione judicis Ecclesiastici vel Parochi, inter se matrimonium contrahunt, dicetur inf *tit. De matrimonio contracto contra interd. Eccles.* De qua autem consanguinea sponsæ hic tex. exaudiendus sit (nec enim de qualibet intelligi debet) commodiùs tractabitur *ad c. Non debet inf. hoc nost. tit.*

In Cap. Quod dilectio 3.

SUMMARIA.

1. *Quoto gradu remotior distat à stipite, eodem distat ab alio stipite propinquiori*
2. *Gradus remotior à stipite an considerandus in dispensatione.*
3. *Consuetudo interpretatur jus.*
4. *Dispensatio accipit interpretationem à jure.*
5. *Matrimonium olim interdictum inter consanguineos usque ad septimum gradum.*
6. *Dispensare & dispensatio quid?*
7. *Pontifex tantùm dispensat in jure humano.*
8. *Pontificis est jus divinum vel humanum declarare.*
9. *Vt & Principis secularis interpretari præceptum naturale,* Non occides.
10. *Ius civile quomodo aliquid addat vel detrahat juri naturali.*
11. *Par in parem vel superiorem non habet imperium.*
12. *Pontifex in quoto gradu consanguinitatis dispensare possit.*
13. *An inter ascendentes & descendentes?*
14. *Inter transversales quæ sit prohibitio.*
15. *Dispensari in primo affinitatis gradu an possit.*
16. *Matrimonium inter fratrum & sororum liberos an licitum.*
17. *Dispensatio in gradibus veteri lege prohibitis an hodie rectè fiat.*

LEgatus provinciæ suæ hominibus auctoritate Apostolicâ indulserat, quòd possent in sexto consanguinitatis gradu inter se contrahere matrimonium. Verùm accidit, quòd unus contrahentium sexto vel septimo, alter verò secundo vel tertio gradu distaret à communi stipite, ex quo uterque descendebat. Hinc dubitatum fuit, an hi vigore hujus indulgentiæ sive dispensationis matrimonialiter inter se conjungi possint?

Quòd prima fronte videbatur, propter regulam quæ traditur hoc textu nostro *& in c. fin. inf. eod.* Quoto gradu remotior distat a stipite, eodem gradu distat à quolibet alio per aliam lineã ex eodem stipite descendente; siquidem remotior

motior gradu proximiorem ad se trahit favore matrimonii. Sed aliter hac de re consultus S. Pontifex rescribit hoc cap. nostro, eos scil. matrimonio conjungi non posse, non obstante indulgentiâ Legati Apostolici. Ea enim accipienda
2 est de viro & muliere in eodem sexto gradu constitutis, non si unus in sexto, alter in proximiore gradu sit.

Nec movet prædicta regula, quia hæc in se quidem vera est, sed locum non habet in specie hujus cap. nostri, quòd contrarium in ea provincia consuetudine obtentum erat, ut hujusmodi indulgentiæ sive dispensationes non aliter intelligerentur, quàm si uterque eodem sexto gradu censeretur, *Glos. in verb. uterque conjungendorum*, Panorm. *num* 7, *ubi &* Hostiens. *&* Joan. Andr. *in eamdem sententiam citat* Felin *ad c. fin. n.* 8, *in fine inf. de Simonia &* Did. Covarr. *in IV. Decretal. p.* 2, *c.* 6, §. 10, *n.* 26, Itaque consuetudo loci facit, ne indulgentia vel dispensatio accipiat interpretationem à jure.* Nam si consuetudo potest dero-
3 gare juri scripto, *c. fin. & ibi Dd. sup. De consuet. & l. De quib.* 32, *in fine* D. *De legib.* cur non etiam interpretari? *l. Si de interpretatione* 37, *D. d. tit. De legib. c. Cum dilectus* 8, *circa med. sup. De consuet.* Alioqui si extra consuetudinem sumus, standum est dispensationi, prout interpretationem recipit à jure; & sic in præsenti argumento, si S. Pontifex, vel ex mandato ipsius Legatus Apostolicus, dispensat in matrimonio contrahendo cum duobus, quorum unus est in remotiori gradu, alter in proximiore gradu: tum hic remotior gradu favore matrimonii trahit ad se proximiorem & in eodem secum gradu collocat, ut antè dictum est.

4 Neque obstat, quòd dispensatio stricti juris sit, hoc est, extra suos limites extendi non debeat, *per text. in c.* 1, *in fine* D. *De filiis Presbyt. in* 6, Nihilominus enim accipit interpretationem à jure, ut eleganter hic tradit Panorm. *per text. in c. Ad audientiam sup. De decimis, & in c. His inf. De privil.* sicut & statuta, quæ tendunt contra jus commune, licet odiosa & stricti juris dicantur, tamen & hæc declarationem recipiunt ex jure communi, *l.* 2, *C. De noxalib. action. Vide latius* Covarr. *jam allegato loco.*

Neque, hic prætereundum est, textum no-
5 strum, dum meminit sexti gradus, exaudiendum esse secundùm antiquos Canones, quibus interdictum erat matrimonium inter consanguineos transversales usque ad septimum gradum, *can.* 1, *can. De consanguinitate & oan. Nulli* XXXV. *qu.* 3, non verò secundùm jus recentiùs, quo tres posteriores, videlicet quintus, sextus, & septimus sublati sunt, per generale Concilium Lateranense, ita quòd nulla dispensatio hodie in his tribus gradibus necessaria sit, *per text. in c. Non debet h. t. ut ibid. latius dicetur.* Nihilominus eadem decisio textus nostri accommodanda est ad quatuor priores gradus prohibitos, ut scilicet in his idem observetur, quod olim in quinto, sexto, aut septimo gradu. Butr. *&* Panorm. *hic* Ut & hinc eleganter noter idem Butrius *hic n.* 11, quòd quis possit lege abrogatâ uti, quando jus non est correctum in substantia (ut ipse loquitur) sed in sola positione exempli, hoc est, quando juris dispositio ejusdemque ratio mutata non est per aliud jus contrarium, sed tantummodò proposita facti species in aliam mutatur.

Cæterùm de dispensatione hic paulò altiùs 6
dispicamus. Est autem dispensare propriè idem quod distribuere sive expendere. Nam hinc apud Jureconsultos, dispensatores servi hi dicuntur, qui familiæ rationibus, id est, expendendæ & recipiendæ pecuniæ præpositi sunt, *l. Dispensatori* 51, *& l. Dispensatorem* 62, *D. De solut. & §. rectè, in fine Instit. Demand.* Similiter qui Principum pecunias curant, earumque administrationem gerunt, dispensatores appellantur *in l.* 1, *C. Si adverf. fisc. & in l.* 4, *C. De fide instrum.* Ad horum igitur similitudinem utuntur summi Pontifices hoc verbo dispensationis pro exceptione sive solutione à Canone juris, quando scilicet alicui gratia fit, ne eo canone amplius ligetur. Hoc enim eo ipso summus Pontifex, vel alius superior, qui jus dispensandi habet, aliter distribuit sive expendit, potestatem suam in remittendo scilicet jure alicui, quo antea obstringebatur. Unde & hæc dispensatio dicitur indulgentia, *hic & in can. Interfectores* XXXIII *q.* 2.

Dispensat verò summus Pont. in jure humano 7
sive positivo, quod in sua potestate est, *c. Innotuit* 20, *sup. De elect.* non verò in iis, quæ sunt juris divini vel naturalis. Nam neutrum est suum, siquidem jus divinum à Deo institutum, & profectum est, cui S. Pont. tamquam inferior Deo derogare non potest, *c. Cum inferior sup. De major. & obedient. can. Inferior sedes* 21, *dist. c.* 2, *De elect. in Clement.* Licet enim S. Pontifex Christi vices gerat in terra, *c.* 2, *&* 3, *sup. De translat. Episc.* non tamen in iis, quæ à Christo Salvatore nostro pro necessitate vel utilitate Ecclesiæ constituta sunt:

nam hæc perpetuam firmitatem habent, nec retractari possunt à summo Pont. *can Sunt quidam* xxv. *q* 1, *juncta ibid. Glos.* Idem dicendum est de jure naturali, quod & divinâ quâdam providentia, ut loquitur Justinianus, constitutum semper firmum & immutabile permanet, §. *penulti. Instit. De jure nat.*

8 Non impeditur tamen summus Pont. ea, quæ divini vel naturalis juris sunt, interpretari sive declarare, ut aliquo in casu locum non obtineant. Ut exempli gratiâ de Baptismo extat hæc Christi sententia apud Joan 3, *cap. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto non potest introire in regnum Dei.* Nam rectè declarat summus Pont. hanc sententiam non pertinere ad eos, qui baptismum quidem desiderant, sed propter necessitatem ab eo excluduntur, *c. Debitum* 4, *sup. De baptismo &c.* 2 *sup. De Clerico non baptizato.* Item apud Matth. extat *c.* 19. *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* Declarat & hoc S. Pont. non habere locum in matrimonio nondum consummato per carnis copulam, *c. Debitum* 5. *sup. De bigamis.* Atque idcirco non est planè indissolubile, cùm per Religionis ingressum, vel auctoritate Apostolicâ aut summi Pontificis dissolvi possit, *c.* 2, *& c. Ex publico* 7. *sup. De convers. conjug.* & latiùs dixi suprà ad tit. *Qui Clerici vel voventes.*

Qua ratione & Princeps sæcularis interpre-
9 tatur hoc præceptum naturale, *Non occides*, non habere locum, ubi quis defendendi sui causâ hominem occidit, *l* 2, *C. Ad L. Corn. de sicar. & l. Vi vim D. De justit. & jure.* Item ubi quis publicâ auctoritate, postulante ita justitiâ, occiditur. Nam in his & similibus nihil derogat juri naturali, sed declarat, sive interpretatur, jus naturale ad hos & similes casus non pertinere. At verò qui rem declarat, nihil additicit vel immutat in re, *l Hæres palam* 21, § 1, D. *De testam.*

Quo sensu exaudiendus est Ulpiani locus *in*
10 *l. Ius civile* 6, *D. De just. & jure*, dum inquit, Jus civile tunc fieri, cùm aliquid additur vel detrahitur juri naturali. Nam detractio hæc sive immutatio pro declaratione accipienda est, quòd scilicet ob certas rei circumstantias quibusdam casibus jus naturale sive gentium cesser, non verò, quòd re ipsâ juri naturali sive gentium aliquid detrahatur. Id enim planè absurdum esset, ex additione sive detractione juris naturalis, quod utique non ideò naturale esse desinit, constitui jus civile: cùm & eodem auctore Ulpiano jus civile ars æqui & boni dicatur, *l.* 1, *D. De just. & jure.*

Itaque summus Pontifex tantummodò dispensare potest in iis, quæ jure humano sive positivo introducta sunt, hoc est, ab aliis Pontificibus vel Conciliis etiam generalibus; * cùm par in parem vel superiorem non habeat imperium, *d. c. Innotuit* 20. *sup. De elect. & l. Nam magistratus* 4, *D. De recept. arb.* 11

Quod cùm ita sit, rectè potuit S. Pont. per se, vel mandato suo per Legatum in sexto consanguinitatis gradu dispensare, sicut & olim dispensavit cum Anglis in quarto gradu. Imò & in tertio & in secundo gradu posse dispensare docet Concilium Trid. *Sess.* 24, *cap* 5, *de reformat. matrim.* siquidem hoc prohibetur inter consanguineos & affines, non divino aut naturali jure, sed humano per sacros Canones introductum fuit, *c. Non debet inf. eod. & Concil. Trid. d. loco can.* 4. Ana autem in primo consanguinitatis gradu, id est, inter fratrem & sororem possit dispensare, paulò post dicemus. Quare idem retinendum erit & in aliis impedimentis matrimonii, ut sunt publicæ honestatis, cognationis spiritualis, & legalis, adulterii, homicidii, & similium, de quibus superioribus titulis egimus, quæ & humani juris sunt, non divini aut naturalis, & consequenter in iis dispensare potest S. Pontifex. Quæ autem non sint divini juris, ex eo liquet, quòd nullâ lege Evangelicâ prodita sint, etiamsi quædam lege veteris Test. menti contineantur, de quo infrà 12 dicemus.

Cæterùm inter ascendentes & descendentes perpetua est prohibitio, sicut apertè testatur 13
Paulus J. C. *in l. fin. D. De ritu nuptiar.* Jure gentium (inquiens) incestum committit, qui ex gradu ascendentium vel descendentium uxorem duxerit. Unde inter eos dispensari non potest, ut matrimonium inter se ineant, licet D. Thomas, Bonavent. & alii tantummodò putent inter ascendentes & descendentes primo gradu jure naturali matrimonium prohiberi, secus verò in secundo & ulteriore gradu, prout eos refert Did. Covarr. *in* 4, *Decrital. cap.* 6, §. 10, *n.* 22. Quo fit, ut ex eorum sententia avus cum nepte, avia cum nepote, qui secundo gradu à se invicem distant, possint, ex dispensatione in matrimonium convenire. Quibus ego certè accedere non possum, propter responsum Pauli Jurisconsulti *in d. l. fin.* Sed & Scotus, Durandus, & alii ab iisdem dissentiunt,

sentiunt, teste eodem Covarr. *jam d. loco*, tum & ibidem ipse Covarr. Et indignissimum esset, parentes liberis suis conjungi, & utrimque eam necessitatem contrahi, ut alter ab altero cogi posit ad mutuam cohabitationem ad præstationem debiti conjugalis.

14 Quoad transversales, sive ex latere ex communi parente venientes, inter hos prohibitio matrimonii est usque ad quartum gradum inclusivè, *cap. Non debet inf eod.* Idque humano jure, non divino aut naturali introductum esse, sunt qui affirmant, adeò ut inter fratrem & sororem naturali jure posit consistere matrimonium. Quorum sententia juvatur exemplis filiorum Adæ cum sororibus suis conjunctorum. Sed certius est, inter fratrem & sororem tantummodo matrimonii prohibitionem esse juris naturalis, non verò in ulterioribus gradibus. Idque probat textus *in can Cum igitur* xxxv *q.* 1, proinde in hunc gradum nulla cadit dispensatio.

Nec movet exemplum filiorum Adæ & Evæ; quia necessitas eam conjunctionem tulit, cùm alii homines non superessent: necessitas verò nullam legem habet, *cap. Quod non est licitum* 4, *inf. De R I* Ac cessante hac necessitate, utpote aucto postea humano genere, testatur D. Augustinus *in d. can. Cùm igitur*, receptum esse apud gentes etiam à Christiana professione alienas, ne conjugium inter fratrem & sororem contrahatur. Igitur hoc conjugium de jure gentium sive naturali interdictum est, *§ penult Institut. De jure nat. gent. & civili.*

Neque obstat exemplum Abrahæ, qui cum Sara sorore sua legitur matrimonium contraxisse, *Genes.* 20, nam sororis nomen pro nepte accipiendum est. Erat enim Sara non vera soror Abrahæ, sed filia fratris sui Aram, & sic neptis ex fratre; sicut ex Augustino & aliis probat Covarr. *d. cap.* 6, *§.* 10, *num.* 15. *in fine.* Nam qui maximè propinqui erant, solebant antiquitus fratres & sorores appellari; quemadmodum & hodie fratres consanguinei vel consobrini, id est, duorum fratrum & sororum filii & filiæ. Sic Cicero *lib.* 5, *de finib. in pr.* Lucium Ciceronem patrui sui filium fratrem appellat.

Nec movet quoque exemplum Henrici VIII. Angliæ Regis, qui relictam viduam fratris sui in uxorem duxit per dispensationem summi Pont. cùm uxor fratris mei eodem mihi gradu sit, quo ipse frater, id est, in primo gradu. Verùm hoc exemplum non consanguinitatis est, sed affinitatis, quæ etsi eumdem gradum cum consanguinitate constituat, hoc tamen non propriè, sed juris interpretatione, fit propter commixtionem utriusque viri & mulieris. Alioquin nec pater & filius matrem & filiam, item nec duo fratres duas sorores ducere possent. Quod falsum est, per textum *in cap. Quod super* 5, *h. t.*

Quod autem in primo affinitatis gradu dispensari possit, probat textus *in cap fin. inf. De divort* & refert Antoninus *in* 3, *parte tit.* 1, *cap.* 2, *Summæ Theolog.* Martinum V. in hoc affinitatis gradu dispensasse. Sed probabilius est inter eos matrimonium consistere non posse jure naturali, quia vitricus & noverca loco parentum sunt, *§. affinitatis Instit. De nupt. & l Non facilè* 4, *§. non solet* D. *De gradib. & affinib.* 15

Igitur inter ascendentes & descendentes perpetua est matrimonii prohibitio, item inter fratrem & sororem, idque jure naturali, non verò inter fratris & sororis liberos; cùm & hi jure civili rectè inter se contrahant matrimonium, *§. duorum Instit. De nupt.* Adeò ut si hi liberi ethnici fuerint, & postea baptismo lustrati, non ideo matrimonium eorum dissolvatur, quòd de jure Canonico inter Christianos non possit consistere matrimonium; sed quia semel legitimè inter eos contractum est matrimonium, cùm per Sacramentum Baptismi, inquit disertè textus, non solvantur conjugia, sed crimina dimittantur, *in c. Gaudemus* 8, *inf. De divort.* Quòd autem neque jure divino inter eos prohibitum sit matrimonium, ex eo liquet, quòd nullibi in lege Evangelica hoc cautum reperiatur. Etenim præcepta legis Evangelicæ sunt omnia juris naturalis, præter præcepta de Sacramentis & de fide, ut testis est D Th. *in* 1, 2, *quæst* 108, *art.* 1, *&* 2, Quare in eos cadit dispensatio *Concil Trid Sess.* 24, *cap* 4, *de reformat in fine*, quo permittitur dispensatio etiam inter filios & filias fratrum & sororum. 16

Neque impedit textus *in c Literas* 13, *sup. De restit spoliat.* quo conjunctiones matrimoniales, quæ Levitici *cap.* 18, *&* 20, interdicuntur, videlicet cum uxore fratris, cum nuru, id est, filii mei uxore, cum privigna, id est, uxoris meæ filia, & nonnullis aliis, dicuntur divinâ lege interdictæ: quia is textus exaudiri debet non de lege Evangelica, sed de lege veteris Testamenti, quæ aliquando divina fuit, sed postea per Christi mortem abolita, sicut & cætera omnia præcepta veteris Testamenti; exceptis tamen præceptis naturalibus, sive, ut loquimur, moralibus, quæ à 17

ratione naturali perpetuò mentibus nostris inscripta est, *cap. unico sup. Depurificat. post part. c. Translato 3, sup De constit.* D. Thom. *in 1, 2, qu 103, art. 3, ad 2*, Covarr *Variar. resol lib. 1, cap. 17, n. 1*, Ergò in gradibus illis olim divinâ lege prohibitis rectè hodie dispensatio fit. Negari tamen non debet, quin aliqui gradus in Levitico prohibiti adhuc hodie perseverent, videlicet inter parentes & liberos, inter fratrem & sororem, inter novercam & privignum, quia hi jure naturali prohibiti sunt contrahere, ut suprà dictum est. Hinc Canon Concilii Tridentini: Si quis dixerit, eos tantùm consanguinitatis & affinitatis gradus, qui Levitico exprimuntur, posse impedire matrimonium contrahendum, & dirimere contractum, nec posse Ecclesiam in nonnullis eorum dispensare, aut constituere, ut plures impediant & dirimant, anathema sit. *Concil Trident. d. Sess. 24, de Sacram matrim. can. 3.*

In Cap. De infidelibus 4.

SUMMARIA.

1. *Matrimonium infidelium etiam in gradu à lege Canonica prohibito non dissolvitur ob baptismum.*
2. *Matrimonium cur dicatur individua consuetudo.*

1 SEntentia hujus Cap. est, quòd matrimonium infidelium legitimum sit, etiamsi contractum sit in gradu à jure Canonico interdicto; nec ob id dissolvi, si alter, vel uterqve eorum Baptismi Sacramento initietur. Ratio prioris membri hoc textu redditur, quòd Christus à Judæis interrogatus, *Matth.* 19, utrùm liceret ex quadam causa dimittere uxorem? respondit: *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* Per hoc innuens (inquit textus noster) matrimonium esse inter Judæos. Altera & hæc reddi potest, quòd Judæi alioqui infideles non ligentur Canonicis sanctionibus, utpote quòd extra Ecclesiam sint. Quid enim mihi de iis, qui foris sunt, judicare? inquit D. Paulus, 1, *ad Corinth.* 5, Et hanc rationem reddit Innoc. III. *in c. Gaudemus 8, inf. De divort.* Unde fit, quòd matrimonium etiam in secundo consanguinitatis gradu apud Ethnicos jure subsistat, *juxta § duorum Instit. De nupt.* cùm apud Judæos, & apùd hos quoque secundus gradus non sit inhibitus à lege Mosaica, teste Præposito *hic*, de quo *vide c. 18, & 20, Levit.* Posterioris verò membri, quòd scilicet hujusmodi matrimonium per baptismum subsequentem non dissolvatur, superiore cap. hanc attulimus rationem, *in eod. cap. Gaudemus*, quòd per Sacramentum Baptismi non solvantur conjugia, sed crimina dimittantur.

Neque movet in Judæis, quòd ipsis permissus sit libellus repudii, ut, si displicuisset uxor, potuerint eam impunè dimittere, *Deuter 24, cap & can Non satis XXXIV q 1*, At matrimonium legitimum dici non potest, quod non continet individuam vitæ consuetudinem, ut habet definitio matrimonii, *tit. Instit. De patr potest in pr. & in cap. Illud 11, sup. De præsumpt.* Non igitur est matrimonium apud Judæos. In cujus solutione variant hîc Interpretes. Sed repeto, quæ dicta sunt suprà,
* quòd matrimonium ideò dicatur indissolubilis 2
consuetudo sive conjunctio, non quòd semel legitimè contractum nullâ ratione dissolvi possit, sed quoad mentem contrahentium hoc est, quòd non aliter contrahi possit, quàm ut contrahentes perpetuo inter se vinculo conjuncti maneant. Nam ad tempus matrimonium contractum nullius momenti est, *c. fin sup. De condit. appos.* Unde non nocet matrimonio, quòd ex post facto per libellum repudii aut aliter legitimè dissolva 10
tur.

In Cap. Quod super 5.

SUMMARIA.

1. *Affinitas inter quos contrahatur.*
2. *Affines unde dicti.*
3. *Affinitas oritur etiam ex concubitu illicito.*

HOc Cap. docemur, affinitatem tantummodò contrahi inter maritum & consanguineos 1

neos uxoris suæ, & è contrà inter uxorem & consanguineos mariti sui. Unde fit, quòd pater & filius cum matre & filia ex alio viro nata rectè matrimonialiter conjungantur. Idem est de duobus fratribus, & de duabus sororibus diversorum parentum, & sic de cæteris. Siquidem inter hos nulla est affinitas, eo quòd primam personam contrahentium affinitas non excedat, *per hunc text. nostr.*

2 Unde quod Modestinus Jurisc. respondit *in l. Non facile 4, §. affines D. De gradib. & affin.* dum inquit, Affines sunt viri & uxoris cognati, dicti ab eo, quòd duæ cognationes, quæ diversæ inter se sunt, per nuptias copulantur, & altera ad alterius cognationis finem accedit, accipiendum est eo sensu, quo jam diximus, utis dumtaxat affinis fiat cognatis uxoris suæ, & è diverso uxor cognatis viri sui, non quòd omnes cognati inter se affines fiant. Quod satis ex eo elucet, dum ait, quòd altera cognatio accedat ad alterius finem, id est, extremitatem. Ut enim ager non dicitur affinis vicini agro; quòd hunc locum occupet, sed quòd ad extremitatem ei conjungatur: ita & cognati viri non toti cognationi uxoris affines sunt, sed ejus tantummodò fini, videlicet uxori. Idem est ex parte cognatorum uxoris ratione mariti sui.

Hic tamen repetere necesse est, quòd suprà ad Rubr. hujus Tit. meminimus, videlicet affinitatem hoc jure nostro non tantùm oriri ex matrimonio, sed & ex concubitu illicito, contra jus civile, quo non nisi ex justis nuptiis affinitas nascitur, *d. §. affines, de quo latiùs ad cap. Non debet inf. eod.* 3

In Cap. Quia circa 6.

SUMMARIA.

1. *Matrimonium olim inter consanguineos interdictum usque ad septimum gradum.*
2. *Rescriptum subreptitium nullius est momenti.*
3. *Dissimulatio expressa habet vim dispensationis.*

FACti species hæc proponitur. Erat quidam nobilis, qui cùm matrimonium contraxisset cum Titia in quinto consanguinitatis gradu, & ex eadem prolem suscepisset, postea prole sublatâ è medio, idem nobilis supplicavit summo Pontifici, ut in favorem prolis faceret sibi gratiam retinendæ Titiæ in matrimonio. Quod & factum est, sed ex falsa causa allegata, utpote defunctâ antea prole. Id animadvertens loci Episcopus rem ad summum Pont. refert, qui hoc textu ita rescribit: *Dissimulare poteris, ut remaneant in copula sic contracta, cùm ex separatione (sicut asseris) grave videas scandalum imminere.*

1 Quod igitur hoc loco mentio fiat quinti gradus, id accidit propter jus vetus, quo matrimonium interdictum erat inter consanguineos, usque ad septimum gradum, *can 1. can. De consanguinitate & can. Nulli* XXXV. *quæst.* 3. Hodie verò ab eo discessum est & redactum usque ad quartum consanguinitatis gradum inclusivè, *cap. Non debet inf. eod.* ita quòd in quinto gradu nullâ amplius dispensatione opus sit. Interim manet decisio hujus cap. nostri quoad quatuor priores gradus, sicut supra eod. *adc.* 3, pleniùs diximus.

Non autem sine ratione Episcopus consuluit summum Pontificem, cùm hæc gratia retinendi Titiam ex falsa causa impetrata fuerit. * At verò 2
rescriptum ex narratione falsæ causæ obtentum, tamquam subreptitium, sive obreptitium (idem enim hæc duo significant, *l. 1, C. Sinuptiæ ex falso rescripto pet.*) nullius momenti est, *c. Super literis* 20, *& c. penult. sup. De rescript.* Carere enim debet mendax precator impetratis, ut loquitur textus *in d. c. Super literis & in l. Et si legibus* 5, *C. Si contra jus vel util. publicam.* Sed in rescripto summi Pont. semper tacitè, licet expressa non sit hæc clausula, inesse intelligitur, Si preces veritate nitantur, *c. 2, sup. De rescript.* quamvis in rescripto Imperatoris ea necessariò sit exprimenda, *l. fin. C. De diversis rescriptis.*

Quod autem ait textus noster, *dissimulare poteris, &c.* mirum est, his verbis dispensationem con- 3
tineri, ex sententia Glossæ, Innoc. Hostiensis, Joan. Andreæ, & Panormit. hic; mirum est, inquam, propter textum *in c. Cùm jam dudum* 18, *in fine sup. De prebend.* ubi inquit textus, quòd multa per patientiam tolerentur, quæ si deducta fuerint in judicium exigente justitiâ non debeant tolerari. Unde videtur, hanc dissimulationem textus nostri non habere vim dispensationis, sed solius patientiæ, utpote injustæ. Verùm respondetur, ideo hic dispensationem intelligi, quòd summus Pont. expressè hanc dissimulationem per-

permittat: alioqui stultum esset dicere, inquit Innoc. quòd hic nobilis & Titia ex dissimulatione summi Pont. perseverarent in adulterio, sive in illicito concubitu. Aliter verò, ubi tacitè dissimulat; nam hac specie non censetur dispensare, *ut in d. c. Cùm jam dudum*, etiamsi aliàs scandalum subesset, si contrà fieret, *per text. in c. 2, inf. De novi operis nuntiat.* Nota tamen ex hoc textu ob grave scandalum evitandum, tamquam ex legitima causa, posse dispensare S. Pontificem.

In Cap. Tua nos 7.

HOc Cap. docemur, in recensendis gradibus cognationum incipiendum esse à stipite, id est, à communi parente, in quem uterque contrahentium pari gradu vel inæquali concurrit sursum versus, vel etiam à fratribus, qui à communi parente descendunt. Quod ad cap. sequens latiùs explicabitur.

In Cap. Non debet 8. juncto cap. fin.

SUMMARIA.

1. *Consanguinitatis & affinitatis gradus quoad matrimonii contractum cur abrogati?*
2. *Affinitas quando contrahatur.*
3. *Affinitatis genera quæ.*
4. *Gradus consanguinitatis & affinitatis triplices.*
5. *Gradus qui, & unde dicti.*
6. *Inter ascendentes & descendentes computatio eadem utroque jure.*
7. *Diversitas est in transversalibus, ejusque ratio.*
8. *Intellectus* can. 1, xxxv. q. 5.
9. *Matrimonii prohibitio inter consanguineos & affines: ad quotum gradum teneat, & cur ea in re variatum.*
10. *Prohibitionis ratio.*
11. *Prohibitio illa cur ad quartum gradum redacta.*
12. *Graduum cognoscendorum ratio.*
13. *Pœnæ incestarum nuptiarum jure civili inductæ an & jure Canonum obtineant.*

HOc Cap. celebre & singulàre est, teste Panormit. *hic*, editum ab Innoc. III. in generali Concil. Lateranensi, quo abrogat duo posteriora affinitatis genera: item tres posteriores gradus consanguinitatis & affinitatis, in quibus secundùm veteres Canones interdictum est matrimonium. Initio autem hujus abrogationis causa hæc redditur, quòd tempus nonnumquam efficiat, ut ea, quæ pro salute & utilitate Reipublicæ antè constituta fuerunt, postea mutato rerum statu, expediat novâ lege latâ immutari, *text. hic & in c. fin. in pr. De sentent. excom. lib. 6, & in can. fin. dist. 14*, Quippe lex tempori accommodanda est, *can. Erit autem lex dist. 4*, nam disertè inquit textus noster, quod ipse Deus ex his, quæ in veteri Testamento statuerat, nonnulla mutaverit in novo. Quod certè non ideo accidit, quòd prior lex, quæ per posteriorem sublata est, rationabilis non fuerit, sed quòd natura & mores hominum eò devenerint, ut antiquâ lege ampliùs uti non possint. Unde cùm tempore Concilii Lateranensis, ex quo hoc cap. desumptum est, corruptior esset natura hominum, quàm priori sæculo, factum est, ut posteriora duo affinitatis genera, & tres posteriores gradus consanguinitatis & affinitatis à veteribus Canonibus introducta per hunc textum nostrum antiquata sint, *elegans textus in can. Fraternitatis dist. 34*, Cæterùm quæ affinitatis genera sint hic dispiciamus.

Meminisse autem oportet, affinitatem tunc 2
contrahi, quàndo una familia ad alterius familiæ finem accedit, sive per legitimum concubitum, ut in matrimonio, sive per illegitimum, ut in quavis alia conjunctione extra matrimonium, *per text. in c. Quod super sup. hoc eod. tit. c. Discretionem 6, & c. penult. sup. De eo qui cognovit consang. uxoris suæ.* Non quidem quòd omnes personæ utriusque familiæ inter se affines sint, sed quòd vir tantummodò fiat affinis cognatis mulieris, & è contrà mulier fiat affinis cognatis ipsius viri, *d. c. Quod super, & ibi latiùs dixi.* Conjunge quæ dicta sunt sup. eod. *ad Rubr. hujus tit.*

Ut autem genera affinitatis inter se dignoscantur, constituamus fratrem vel alium cognatum meum duxisse Titiam in uxorem suam: hæc Titia dicitur mihi affinis in primo affinitatis genere, eò quòd sanguini meo immediatè juncta 3

sit

sit per fratrem vel consanguineum meum. Quòd si, mortuo fratre sive consanguineo, eadem Titia iterum nupserit, hic secundus maritus Titiæ, est mihi in secundo affinitatis genere, quia mihi jungitur per eum, ideo quòd is per eamdem Titiam priorem affinem meam mihi ita conjunctus sit. Sin Titiâ mortuâ secundus hic maritus alteram uxorem duxerit, hæc uxor erit mihi affinis in tertio affinitatis genere, quia mihi jungitur per eum, qui secundo affinitatis gradu mihi junctus est. Nam copula addita copulæ efficit hæc diversa affinitatis genera, propter commixtionem carnis, quæ inter se unum corpus fiunt, sed alter altero conjunctius. Quare eadem supputandi ratio est & ex parte Titiæ uxoris fratris vel consanguinei mei, ubi scilicet eâ mortuâ frater vel consanguineus meus alteram uxorem duxit, & hæc, fratre vel consanguineo defuncto, rursus alteri viro nupserit. Nam & hic triplex genus affinitatis est, propter diversam inter se copulam sive commixtionem corporum.

Igitur inter hos affines matrimonium interdictum erat jure antiquorum Canonum, *can* 1. § *& hoc quoque & can fin.* xxxv. *quæst.* 3 Hodie verò duo posteriora affinitatis genera sunt abrogata, per textum hunc nostrum. Ita quòd hodierno jure legitimè consistat matrimonium inter sororem meam, & secundum maritum uxoris fratris mei demortui: item inter me & secundam uxorem ejus, qui antea cum amita vel cognata mea matrimonium contraxit; quia utraque uxor non primo sed secundo affinitatis genere mihi conjuncta est.

Idque multò magis obtinet, si inter me & cognatos istius uxoris de matrimonio contentio est, aut etiam de liberis ex secunda uxore natis, cùm hi ulteriore gradu affinitatis à me distent, *textus hic in pr. vers. Cùm ergò prohibitiones.*

Nec movet, quòd & in secundo & tertio affinitatis genere una caro interveniat. Etenim si uxor & frater meus propter commixtionem una caro fiunt, consequens est, ut secundus uxoris maritus propter copulam eum eadem conjungatur sanguini fratris mei, & subsequenter meo sanguini propter communionem ejusdem. Non, inquam, movet, quia conjunctio corporum secundi & tertii matrimonii non propriè affinitatem constituunt, sed potiùs justitiam publicæ honestatis inducunt, quòd scilicet indecens videatur, eum vel eam, qui quæve prioris matrimonii conjugi superstiti conjunctus est, eo mortuo contrahere cum consanguineis primi conjugis mortui, *d. can fin.* xxxv. *quæst.* 2. Et verò si propriè affinitas esset, major diceretur ea inter duos fratres vel sorores, vel inter patrem & filium cum matre & filia alterius familiæ, ob similem conjunctionem corporum: inter quos tamen nulla est affinitas, cum legitimè inter se copulentur, *per text. in cap. Quod super* 5 *& ibi latiùs dixi sup. eod.*

Quoad gradus consanguinitatis & affinitatis, triplex in his ordo constituitur. Aut enim sunt superioris ordinis, aut inferioris, aut ex transverso sive ex latere venientes. Superioris ordinis sunt parentes: inferioris liberi eorum: ex transverso sive ex latere fratres & sorores, liberique eorum inter se. Qui omnes inter se certis gradibus distinguuntur, *can.* 2. *cum seqq.* xxxv. *quæst.* 5 *l.* 1. *& seqq. D. De gradib. & affinib. & tit. Instit. De grad. cogn.* 4

Gradus autem dicti sunt à similitudine scalarum, locorumve proclivium, quos ita ingredimur, ut à proximo in proximum, id est, in eum, qui quasi ex eo nascitur, transeamus. Ita Paulus *in l. Iurisconsultus* § *gradus D. d. tit. De gradib. & affinib.* Verbi gratia, à patre & matre transimus in avum & aviam, & ab his in proavum & proaviam, & sic deinceps in cæteros superiores. Similiter à patre & matre in filios & filias, post in nepotes & neptes, & ita consequenter in reliquos inferiores descendentes. In collateralibus, sive ex latere venientibus idem ascensus & descensus retineatur, atque hæc omnia quibusdam quasi gradibus.

Ut autem hi gradus explicatius inter se discernantur; Ex ascendentibus sursum versus primum gradum constituunt pater & mater; secundum avus & avia; tertium proavus & proavia; quartum abavus & abavia, & sic deinceps. Ex descendentibus deorsum versus primum gradum efficiunt filius & filia; secundum nepos & neptis; tertium pronepos & proneptis, & ita subsequenter. Et hæc subductio in gradibus ascendentium & descendentium utroque jure recepta est, ut videre est sub *tit. Instit. De gradib. cognat. in l.* 1. *& in l. Iurisconsultus* 10 § *primo gradu D. De gradib. & affin. d. can.* 2. *cum seq.* xxxv *quæst.* 5. 5

At in transversalibus sive ex latere venientibus in graduum supputatione dissensio est inter jus Civile & Canonicum. Etenim jus Civile primum gradum non collocat, sed à secundo gradu incipit, in quo constituit fratrem & sororem; in tertio fratris & sororis filium & filiam; in quarto neporem & neptem, & sic ex ordine descendendo, *jam allegatis juribus.* Jus verò Canonicum 6

primum gradum habet, in eoque reponit fratrem & sororem; in secundo eorum filium & filiam, & & ita deinceps, *can. Ad sedem, can. Parentela cum can. seq.* xxxv. *quæst.* 5.

Diversitatis ratio est inter utrumq; jus, quòd jus Canonicum in recensendis gradibus habeat rationem matrimonii, cujus contrahendi causa prima dici posset inter fratrem & sororem, quemadmodum in principio orbis conditi fuit inter filios & filias Adami & Evæ primorum parentum nostrorum: quamvis hodie eo jure non utamur, sicut latiùs dixi *ad c.* 3. *sup eod* Secunda inter fratris & sororis filios, & sic subsequenter, *d can. Ad sedem & d.c. Parentela.* At jus civile in constituendis gradibus nullam aut vix habet rationem matrimonii inter collaterales, cùm eo jure rectè inter se conjungantur duorum fratrum & sororum liberi, vel frattris & sororis, *§ duorum Instit. De nupt. & l* 3. *D. De ritu nupt.* Sed solummodò videtur habere rationem successionis hæreditariæ, quo scilicet modo ex collateralibus alter alteri succedat ab intestato, *d. can Ad sedem.* In qua ideo incipit à secundo gradu, quòd, mortuo fratre vel sorore, primum omnium ad ejus hæreditatem vocentur pater & mater, ac proinde hi primum gradum in succedendo occupant. Post hos vocantur frater & soror, *d. l Iurisconsultus* 10. *§ nam quoties, vers. idem faciendum D De gradib. & affin § repetitis Institut De servili cognat.* Idque ante Novellas à Justiniano editas. Nam in Novella 118 *De hæred. ab intest. venient.* vocantur frater & soror utrimque conjuncti in hæreditatem defuncti unà cum parentibus, & sic permixtim hodie frater & soror primum gradum cum parentibus suis constituunt.

2 Non obstat textus *in can.* 1. xxxv. *quæst.* 1. quo ab Isidoro primo gradu numerantur fratris & sororis filii, secundo nepos & neptis, tertio pernepos & proneptis: omissis fratre & sorore, quos truncum sive stipitem esse vult. Sed excusat eum, ejusque similes Alexander summus Pont *in d can. Ad sedem § sunt enim quidam* xxxv *quæst.* 5. quòd licet hi varient in numero graduum, tamen in sententia cum aliis rectè conveniant. Dum enim à filiis fratris & sororis incipiunt, eo citiùs cessant in enumeratione graduum prohibitorum, videlicet in sexto gradu. Igitur sive à fratre & sorore initium sumatur, tamquam à primo gradu & ad septimum usque gradum deveniatur, quo secundum antiquos Canones interdictum est matrimonium, *can. Nullum & can. De consanguinitate* xxxv. *quæst.* 2. 2. sive incipiatur à filiis fratris & sororis, tamen res in idem recidit, cùm hæc prohibitio sextum gradum non excedat. Ita fit, quòd etsi frater & soror ab Isidoro & aliis omittantur, nihilominus hi gradum re ipsâ constituant. Idem retinendum est, si quis hodie (quo matrimonii prohibitio coarctata est ad quartum usque gradum, juxta textum nostrum) velit incipere non à fratre & sorore, sed à filiis fratris & sororis; nam eo citius desistet, videlicet in tertio gradu. Sed melius est incipere à fratre & sorore, proutante dictum est, vel saltem a communi parente, *c. Tua* 7. *sup eod.* qui tamen nullum gradum efficit, sed est tantummodò radix, sive truncus, unde gradus nascuntur.

Cæterùm ad textum nostrum propiùs redeundo, quo inter consanguineos & affines matrimonii prohibitio ad quartum usque gradum redacta est: sciendum est, primò omnium à Fabiano summo Pont. circa annum Domini 239. sancitum fuisse, ne qui omninò matrimonium contraherent in tertio consanguinitatis vel affinitatis gradu; similiter nec in quarto gradu. Attamen si in quarto gradu contractum fuerit, censet minimè ob hoc matrimonium dissolvendum esse, *text. est in d can. De propinquis* xxv. *quæst.* 2. Post quem Julius I. anno Domini 337. aut circiter hanc prohibitionem matrimonii produxit usque ad septimum gradum, *can Nullum & can. Æqualiter d: quæst.* 2. donec ad Innocentium III. deventum est, qui anno salutis 1215. in generali Concilio Lateranensi prohibitionem hanc ad quartum gradum revocavit; ita tamen, quòd nullum inter consanguineos & affines ad quartum usque gradum posset consistere matrimonium, *text. hic in cap Non debet* Quo jure hodie utimur, nisi quòd Concilium Tridentinum illud singulare induxerit quoad affinitatem ex fornicatione provenientem, ut hæc secundum gradum non excedat, *Sess.* 24. *c.* 4. *in decreto de reformat matrim.* Igitur qui primis quatuor gradibus se mutuò non attingunt, rectè inter se contrahunt matrimonium. Idem est, si unus in quinto vel ulteriore gradu sit, alter in quarto, tertio, secundo, vel etiam primo; eo quòd is, qui quinto gradu vel remotiori est, trahat ad se viciniorem stipiti, & in eodem secum gradu collocet, in favorem matrimonii, *c fin. inf eod.* 9

Hujus autem prohibitionis inter cognatos & affines rationem hanc reddit D. Augustinus *in can.* 1. xxxv. *quæst.* 1. ut matrimonium hac ratione esset seminarium quoddam charitatis sive amicitiæ 10

tiæ cum extraneis hominibus. Quippe per matrimonium conjunguntur & colligantur animi hominum novo quodam necessitudinis vinculo: qui fructus Reipublicæ facilè interiret, si promiscuè inter cognatos & affines matrimonium permitteretur. Quis enim ignorat, natutà nos magis propendere in conjunctiores nobis, quàm in extraneos?

Quod verò primùm à Fabiano S. Pont. matrimonium inter consanguineos & affines tantummodò ad quartum gradum, & non ultra interdictum fuerit, puto id tempori tribuendum esse, quo ratior erat Christianorum numerus, veluti sub Maximino & Gordiano Imperatoribus Ethnicis, ut scilicet eo faciliùs Christiani inter se possent inire matrimonium. At cùm tempore Lucii I. qui vixit sub Constantino Imp. Christiani in immensum aucti essent, ideo hæc prohibitio ad septimum usque gradum rectiùs producta fuit, ut ita præsentius esset remedium ad devinciendos inter se diversorum hominum animos, uti ex D. Augustino jam ante diximus. Sed cur præcisè ad septimum gradum, & non ultra? quamvis responderi posset, illud arbitrarium fuisse legislatori, id est, ei, qui hunc canonem tulit, ut pro arbitrio suo ita statuerit; tamen in promptu ratio est, quòd putetur virtus sanguinis ipsius stipitis in descendentibus tot generationibus deficere & extingui. Unde meritò permittitur in octavo gradu idem sanguis restitui per matrimonium, *can. Ad sedem vers. isti enim qui numerandi initium* xxxv. *quæst.* 5 *& can. sia ead quæst.* 4.

11 Hic objicies: cur igitur per hunc textum nostrum abrogati & detracti sunt tres posteriores gradus, videlicet, quintus, sextus, & septimus? Hujus rei causam rejicit textus noster in imbecillitatem humanæ naturæ, dum inquit, in ulterioribus gradibus jam non posse absque gravi dispendio hujusmodi prohibitionem generaliter observari. Igitur incontinentia hominum suasit, ut à septem illis gradibus discederetur, & coarctaretur prohibitio ad quartum tantummodò gradum. Est enim lex accommodanda tempori, *can Erit autem lex distinct.* 4. Quò pertinet illud Pelagii summi Pont. Defectus, inquit, nostrorum temporum, quibus non solùm merita, sed corpora ipsa hominum defecerunt, distinctionis illius non patitur in omnibus manere censuram, *textus est in can Fraternitatis dist.* 34.

Quod autem additur in textu nostro, ideo ad quartum gradum prohibitionem hanc redactam esse, quòd *quatuor sint humores in corpore*, non concludens ratio est, cùm & semper iidem humores fuerint in corpore humano, *cap. In quodam* 8 *in fine sup. De celebrat. Miss.* sed motiva & planè physica est, sicut explicat D. Thom. *in IV Sentent dist.* 4 *quæst.* 1 *artic.* 4. *in respons. &* Bellarm. *de matrim. Sacram. cap.* 29. *in fine.*

Ad cognoscendum autem, quoto quis gradu distet à suo consanguineo, ante omnia investigandum est, in quem tamquam communem parentem uterque concurrat. Quo invento, incipiatur ab utroque, si æquales gradus sint, vel à remotiori, si in gradu sint inæquali; qui hîc proximiorem stipiti ad se trahit favore matrimonii, ut ante dictum est. Deinde ab hoc gradu, qui proximus est, transitus fiat in proximum gradum ascendendo, & sic consequenter per singulos gradus proximum semper numerando, donec ad communem parentem deveniatur. Qui tamen parens gradum non facit, sed suus filius & filia primum gradum constituunt, deinde secundum horum filius & filia, donec ita descendendo redeatur ad eos, de quorum conjunctione agitur, sicut latiùs videre est in arbore consanguinitatis, quæ vulgò in impressis libris circumfertur. 12

Eadem observanda sunt quoad affines in subductione graduum. Nam cum maritus una caro sit cum uxore sua, propter commixtionem corporum, rectè sequitur, sororem uxoris esse marito in primo affinitatis gradu; filiam verò uxoris ex alio scilicet viro conceptam, vel filiam sororis uxoris marito esse in secundo affinitatis gradu, & consequenter neptem in tertio gradu, atque ita subsequenter. Eâdem ratione uxor fratris vel alterius consanguinei mei eodem mihi gradu est, quo frater vel consanguineus. *can Porro* xxxv. *q.* 5.

Hic generaliter meminisse oportet, quòd suprà passim diximus, in descendenti linea filium & filiam facere primum gradum, nepotem & neptem secundum &c. item in collateralibus fratrem & sororem primum, & eorum filios & filias secundum gradum; id verum esse, sive unus tantum filius sit, sive filia, nepos vel neptis, frater vel soror, sive etiam in eodem gradu plures simul personæ, veluti plures filii, plures filiæ, plures fratres, plures sorores, nepotes, vel neptes. Nam ob id non multiplicantur gradus, quòd plures personæ in eodem gradu sint, neque idcirco diminuuntur, si forte una tantum persona sit in gradu;

du; cùm gradus ex varia generatione unius ex altero metiamur & æstimemus.

In fine textus nostri irritatur omninò matrimonium intra quartum consanguinitatis & affinitatis gradum contractum, adeò ut diuturnitate tempotis hujusmodi matrimonium defendi non possit. Quippe diuturnitas temporis, inquit, non minuit peccatum, sed auget; tantoque sunt graviora crimina, quantò diutiùs infelicem animam detinent alligatam. Quæ ratio ad similes casus, ubi peccatum vertitur, pertrahenda & accommodanda est, *ut videre latius est cap. Non satis cum cap seq. inf De Simonia, facit cap ult. sup. De consuetud.*

Cæterùm cùm suprà annotaverimus differentiam inter jus civile & Canonicum, quòd illud in consanguineis & affinibus collateralibus non ad tot gradus matrimonium prohibeat, imò præter fratrem, sororem & ejusdem filiam indistinctè in reliquis permittat matrimonium, *§. duorum Instit. De nupt.* Jus verò Canonicum quatuor priores gradus prohibeat, *per hunc text nostr* incidit hic elegans quæstio, an pœnæ, quæ contra incestas nuptias contrahentes à jure Civili inductæ sunt, ut est confiscatio bonorum, & exilium, & si vilis persona sit, etiam corporis castigatio, *juxta Novel. 12. de incestis & nefar nupt & Auth. Incestas C De incestis & inutil nupt.* habeant locum in incestis nuptiis de jure Canonico? Jus autem civile vocat incestas nuptias, quæ inter ascendentes & descendentes, vel inter fratrem & sororem, vel ejus filiam contractæ sunt, *text in l fin D. De ritu nupt. §. ergo Instit. De nupt. & in l Si adulterium cum stupro 38. in pr & §. 1. D. Ad L. Iul de adult.* Jus verò Canonicum vocat nuptias incestas quæ in quarto gradu inter consanguineos & affines contrahuntur, *can Erit autem lex §. incestus* XXXVI *quæst. 1.* Covarr. *in 4. Decretal. part. 2. cap. 6. §. 8 in princ.*

Sunt in hac quæstione, qui putant, eamdem pœnam locum habere etiam quoad incestum de jure Canonico, cùm Novella illa ad Canones quoque transferenda sit. Atque hujus sententiæ est Did. Covarr *jam allegato loco num. 30.* ubi & ex Decio testatur hanc esse communem opinionem, quam & probare videtur Joan. Bernard Diaz *in pract crim Canon. c. 58 § incestus* At alii rectiùs contrarium sentiunt, ut scilicet dicta pœna locum non habeat, nisi in incestis nuptiis de jure Civili. Ita post Calderinum Dominicus Geminianus *consil. 71* Alciatus *ad cap. Cùm contingat 54 sup De jurejur.* Et hanc contrariam opinionem communiorem, probabiliorem, & magis consonam veritati testatur ex Follerio Julius Clarus *in §. Incestus nu. 3.* quam & ipse ibidem sequitur; nisi (inquit) contrariâ consuetudine, quæ est optima legum interpres, aliud obtineat. Cujus ratio non ea est, quam comminiscitur Alciat *jam d loco,* quòd videlicet tempore illius Novellæ 12. nondum erat conditum jus Canonicum, quod falsum esse ex Fabiano S. Pont. probavimus; sed quòd de jure naturali non sit prohibitum matrimonium inter filios fratrum & sororum, qui jure Canonico sunt in secundo gradu, ac proinde hi contrahentes pœnam juris Civilis, quæ de nefariis nuptiis constituta est, non incurrent, *argum. l Gracchus 4 C. Ad L. Iul de adult.* Et sanè iniquum esset, pœnam juris Civilis ad ejusdem juris constitutiones accommodatas, ad alios casus velle traducere, contra *cap. In pœnis & cap. Odia De R. I. in 6 & l Interpretatione D. De legib.* Et hæc eadem observanda sunt in incestu simplici, ut, si de huius pœnâ quæratur in foro Civili, ea non exigatur secundùm præscriptum Juris Canonici, sed Civilis. Etiamsi Covarr. & si qui alii sunt, his refragentur, sed absque textu & ratione.

IN TIT. XV. DE FRIGIDIS ET MALEFICIATIS, ET IMPOTENTIA COEUNDI.

SUMMARIA.

1. *Frigidi & maleficiati qui dicantur.*
2. *Matrimonium cur tales frustrà contrahant.*

HOc Tit. aliæ recensentur personæ, inter quas matrimonium consistere non potest, ut sunt frigidi, maleficiati, aut aliter impotentes ad coeundum.

Frigidi hoc loco dicuntur, qui naturali frigiditate ita conflictantur, ut mulieri commisceri nõ possint. Maleficiati, qui improbi hominis veneficio sive fascinatione constricti idem naturæ officium exercere non possunt. Aliter verò impotentes sunt mulieres ita obstructæ, quòd virum admittere non possint. Item impuberes, spadones, castrati, & quibus virilia præcisa sunt.

Hio-

Hi omnes frustrà matrimonium contrahunt,
2 quòd in iis desit institutio matrimonii, videlicet prolis procuratio, & remedium fornicationis vitandæ, 1. *ad Corinth.* 7, *& can Nuptiarum* XXV. *quæst.* 1. Sicut in progressu explicatiùs dicetur.

In Cap. primum, juncto c. Laudabilem 5.

SUMMARIA.

1. *Facti species.*
2. *Frigiditas & impotentia qualiter probanda.*
3. *Confessioni soli mariti vel uxoris contra matrimonium non statur.*
4. *Ad cognoscendam frigiditatem an sit opus triennio cohabitationis.*
5. *Frigiditate cessante matrimonium restaurari debet.*
6. *An & quoad torum?*

1 Textus hic intellectu difficilis est, teste Panorm. Butrio & Præposito hic. Ut autem ejus sententiam planiorem reddamus, præmittenda à nobis est facti species. Titius in uxorem duxit Mæviam, cui cùm per mensem unum aut tres, vel etiam per annum cohabitasset, asseruit se præpediri frigiditate naturæ, quo minùs possit Mæviam vel aliam mulierem cognoscere: proinde petebat se separari à Mævia, tamquam eum ea inutiliter contraxisset matrimonium. Cui hoc textu nostro respondetur, ut, si Mævia idem affirmaverit, & præterea per verum judicium (quod quale sit, statim dicetur) comprobatum fuerit, statim à se invicem separari possint: hac comminatione additâ, ut, si Titius postea aliam uxorem duxerit, præter reatum perjurii, quo se obstringit, ad Mæviam priorem uxorem peractâ pœnitentiâ redire debeat. Si prior ipsa Mævia post annum aut dimidium ad Episcopum, sive Missum, id est Officialem ejus provocaverit, conquerens de frigiditate Titii, hic verò contrà astruat, se frigidum non esse, sed Mæviam cognovisse: quod in hac contentione credi oporteat magis Titio, eò quòd maritus sit caput uxoris suæ. Cur enim (addit textus) tamdiu tacuit Mævia? cùm facilè & brevi temporis spacio scire potuerit, an ad commiscendum esset aptus Titius. Cæterùm si in initio, putà post mensem aut duos eam querelam instituerit Mævia, & probari possit per rectum judicium, utique ad separationem matrimonii admittenda erit Mævia, & ei permittendum, ut, si velit alteri viro nubat. Atque hæc textus nostri facti species est, unà cum decisione.

Igitur verum, sive rectum, sive justum judiciũ 2
(idem enim hæc tria significant) vocat textus probationem, quæ fit per inspectionem obstetricum, & matronarum in arte peritarum, *juxta c. Proposuisti* 4, *& c. Causam matrimonii* 4. *sup. De probat.* nam hæc inspectio legitimæ probationis loco est, *d. c. Causam & l.* 1, *D. De ventre inspic.* Et hoc, ubi mulier nondum corrupta est, sed se virginem esse fatetur. Sin autem corrupta est, judicium hoc fiet per jusiurandum utriusque conjugis, & septem simul cognatorum, sive, his deficientibus, septem vicinorum bonæ famæ. Qui omnes, priusquam separatio fieri possit, juramentum præstare tenentur: & quidem conjuges juramentum veritatis, quòd scil. per copulam numquam una caro fieri potuerint: alii verò septem conjuratores juramentum credulitatis, quòd videlicet credant ipsos conjuges verum narrasse, *c. Laudabilem* 5, *& ibi Gl. inf. eod. can.* 1, *&* 2, XXXIII. *q.* 1.

Sunt autem duo ex hoc textu nostro notanda. Unum, quòd vir provocare possit ad separationem matrimonii, propter impedimentum ex sua persona proveniens, cùm sua intersit, ne ad matrimonii onera teneatur. Alterum est, † quòd soli confessioni mariti & uxoris non stetur contra 3
matrimonium, eò quòd dissolutio matrimonii semel contracti non pendeat ex voluntate contrahentium. At pro matrimonio inter se contracto rectè creditur viro & mulieri, *cap.* 2, *sup. De clandest. desponsat.* Et hoc jure Decretalium. Aliter ex dispositione Concilii Trident. quo necesse est præter confessionem contrahentium intervenisse præsentiam Parochi & testium, alioqui confessio nullius momenti est, *Sess.* 24, *cap.* 1, *vers. qui aliter, de reformat. matrim. sicut supra ad dict. tit. de clandest. desponsat. fusius explicavimus.*

Obiicitur contra cap. nostrum textus *in d. cap. Laudabilem hoc tit.* quo ad cognoscendam frigiditatem viri statuitur triennium cohabitationis inter conjuges. Idem de jure Civili, *Nov.* 22, *de nupt. §. distrahuntur, vers. per occasionem.* Quo transacto per justum judicium fit matrimonii separatio. Hoc autem textu separatio fieri potest vel statim, vel non multò post. Qui scrupulus hic 4

valdè torquet Interpretes. Sed si sequamur sententiam Panormit. facilè hoc modo tollitur, si dicamus, *d l Laudabilem* eo casu loqui, quo nulla extant urgentia indicia frigiditatis in viro. Nam tunc opus esse triennio cohabitationis inter conjuges, unà cum justo judicio, juxta formam ejusdem *c. Laudabilem*. At verò ubi præter confessionem conjugum adsunt urgentia frigiditatis indicia, quòd hac specie possint conjuges statim, non exspectato lapsu triennii, à se invicem separari, dummodò juramento suo & propinquorum id confirment. Quo sensu exaudiendum putat Panorm hic principium textus nostri, quem comprobare videtur *d. c. Laudabilem circa pr. in verb. Si frigiditas priùs probari non possit*, argumento ducto à contrario sensu.

Et quod postea hîc subiicitur de muliere, quæ frigiditatem viri sui allegat priùs post annum & dimidium; è contra verò si vir se potentē astruit, quòd hoc casu magis credendum sit viro, eo quòd caput sit mulieris: idcirco dicitur, quòd duæ simul præsumptiones concurrant contra mulierem: una, quòd tard ùs querelam suam de frigiditate viri instituerit; altera, quòd vir contrarium asserat, ac proinde potiùs ei credendum, quam mulieri; non tamen ad eum effectum, ut matrimonium statim dirimatur, propter assertionem viri, sed ne dirimatur propter querelam mulieris, verùm tum demùm ubi triennium cohabitationis elapsum est.

Quod idem retinendum, etiamsi uterque conjugum frigiditatem allegaret. Nam & tunc triennium cohabitationis requiri, unà cum justo judicio, probat idem text. *in d. c. Laudabilem, vers. si autem quod numquam*. Suppletur igitur, quod in *hoc c.* 1. desiderari videtur, *ex d. c. Laudabilem*. Neque hoc in jure novum est, ut una lex per aliam interpretationem vel suppletionem recipiat, *l. Non est novum* 26, *& l. Sed & posteriores* 28, *D. De legib.* quo sensu accipiendi videntur *text. in can.* 1, 2, *&* 3, XXXIII. *q.* 1.

Illud postremò ex hoc *c.* 1. observandum, quòd matrimonium, licet propter frigiditatem separatum sit, restaurari, id est in pristinum statum restitui debeat, si fortè vir, qui frigiditate antea impeditus videbatur, aliam postea mulierem cognoverit. Probat idem *text in d. c. Laudabilem* §. *fin.* nam secunda illa copula indicat, virum naturali frigiditate non laborâsse, sed extrinsecâ quâdam causâ præpeditum fuisse. Unde, rescissâ sententiâ divortii, quæ per errorem lata est, meritò redintegratur matrimonium. Quod obtinet & in quavis sententia contra matrimonium lata, ut comperto errore retractetur, *c. Lator sup. De sent. & re jud. juncto can pen.* XXXIII. *q.* 2, licet diversum sit in sententia divortii propter maleficium, de quo latius *ad c fin. inf. eod.*

Sed quæstionis est, an matrimonium, quoad torum etiam restituendum sit? Videtur enim mulier justè excipere posse contra maritum propter adulterium ab eo perpetratum post separationem *per text in can. Præcepit cum c. seq* XXXIII. *q* 5, *in can. Nihil & in can. Indignantur* XXXII. *qu.* 6. Attamen verius est, mulierem excipere non posse, dummodò maritus nullam fraudem admiserit in petenda separatione matrimonii, cùm adulterium sine dolo non admittatur, *l pen. D. Ad L. Iul. de adult & c. Fraternitatis* 6, *inf. eod.* Idem & si maritus fraudem admisisset, sed colludente sive connivente uxore, *l Si uxor* 13, § *judex & § fin D. jam d. tit.* aut ipsa similiter fornicata fuerit, separato matrimonio, cùm delicta pari compensatione tollantur, *c pen & ult inf. De adult c. Ex literis* 5, *inf. De divort. & l Viro* 48, *D. Soluto matrim.*

In Cap. Quod sedem 2.

SUMMARIA.

1. *Pueri quatenus inepti matrimonio.*
2. *An senes?*
3. *An spadones & castrati?*

Hic textus generalis est ad omnes impotentes ad complendam copulam, quales sunt frigidi, maleficiati, spadones, castrati, & quibus omninò virilia præcisa sunt. Inquit enim: *Sicut puer, qui non potest reddere debitum, non est aptus conjugio sic qui impotentes sunt, minimè apti ad contrahenda matrimonia reputantur.*

Igitur puerum eum intelligit, qui debitum conjugale, quod in commixtione corporum consistit, reddere non potest, quod ex habitu corporis æstimatur, *c.* 3, *sup. De desponsat impub.* Deficit enim in hoc puero institutio sive finis matrimonii, qui est generatio prolis, sive fornicationis evitatio quoad mulierem, sicut suprà ad Rubr. annotavi:

notavimus : quamvis hoc discriminis sit inter puerum & reliquos impotentes, ut, si ille matrimonium contrahat, hoc matrimonium resolvatur in sponsalia de futuro, dummodò septennium habeat, *c unico § fin. De dispensat. impub in 6, & c. fin sup. eod.* de quo latiùs egimus *ad c 3, sup. De sponsalib.* Cæteri verò impotentes, si ab eis matrimonium contractum sit, ne quidem valet in vim sponsalium, *l Oratio 16, D. De sponsal.* eò quòd horum impedimentum perpetuum sit, & consequenter sponsalia inter hos contracta numquam effectum sortiri possint. Quod non est in puero, quo facto pubere cessat impedimentum matrimonii contrahendi, *facit text. in l Si quis officium 38, D. De ritu nupt.*

2 Sed quid juris in senibus? Hos verum matrimonium contrahere probat textus *in l pen. C. De nupt. & Glos. hic & can Nuptiarum* XXVII. *q* 1, ubi inquit, neminem adeò senem esse, quin aliquando calere possit naturâ vel artificio. Et probant exempla Manassæ Numidiæ Regis, & Catonis Censorii, & Uladislai Regis Poloniæ. Ille post octoginta sex annos, alter anno octuagesimo octavo ætatis filium genuit; tertio verò nonagenario duo filii nati sunt, Uladislaus & Casimirus, prout refert eos Andr. Tiraq. *in 6, lege connub num.* 19 Et quamvis Tiraq hoc vice miraculi habeat, cùm ratò evenire soleat, tamen non puto miraculo adscribendum esse, cùm per naturam fieri possit.

3 Cæterum quod ad spadones & castratos attinet, appellamus eos spadones, quibus abest pars genitalis à natura, *l. 2, § illud, & l. Arrogato 40, § fin D De adoptionib.* Castratos, qui tale vitium habent ex accidenti, *l Sed est quæsitum 6, D. De liberis & posth instit.* (licet Justinianus *in §. sed & illud Instit. De adopt.* aliter videatur discernere spadonem à castrato.) In spadone jus civile quidem admittit matrimonium, non verò in castrato, *l. Si serva 40, § si spadoni D De jure dot.* sed jure Canonico uterque perperam contrahit matrimonium, ex ratione textus nostri, quòd scilicet impotentes sint: nisi fortè possint erigere, quo casu valere matrimonium ab iis contractum docet Navarr. *cons. 2, num 11, hoc tit. nostro*; ex hac ratione, quòd matrimonium hac specie saltem sit in remedium fornicationis. Idem tradit Glossa *ad can Hi qui matrimonium* XXXII *q.* 7, Verùm Panorm hìc ex communi sententiâ probat contrarium, inquiens: ex quo non potest generare spado, potest uxor dicere, Ego volo esse mater, volo filios producere, & ideo maritum accepi, *c. 1, in fine h. t.* Quæ certè sententia Panormitani æquitatem habet. At verò in iis periculosa est, qui tantùm fornicationis vitandæ causâ contrahunt matrimonium, licet procreationem prolis non evitent. Idcirco hæc res Pontificiâ decisione opus habet. Refert quidem Henricus Henriquez, *tomo 1, Summæ Theol moralis lib 12 de impedimentis matrim c 8,* Sixtum Papam V constitutione sua generaliter declarâsse, quòd spado sive eunuchus utroque testiculo orbatus, est & semper fuerit omninò inhabilis matrimonio, etiam sciente & consentiente muliere. Sed mihi hactenus videre non licuit hanc constitutionem, ut ita possim jus auditoribus proponere. Illud certissimum est, spadonem, cui omnia omninò genitalia adempta sunt, non posse inire matrimonium, sicut rectè consuluit Nav. *consil. 3, hoc nostro tit. & dicetur ad cap. fin. inf. eod.*

In Cap. Ex literis 3. juncto cap. Fraternitatis 6.

SUMMARIA.

1. *Matrimonium dirimi potest ob vitium obstructionis naturalis in muliere.*
2. *Suadendus tali mulieri ingressus Religionis.*
3. *Eâ postea ab alto cognitâ redintegrandum prius matrimonium.*

1 HOc Cap. agitur de muliere adeò obstructâ, ut virum admittere non possit, an ob hoc matrimonium cum ea contractum sit dirimendum? Et respondetur, si vitium illud mulier à natura contraxit, nec ope Medicorum tolli potest; viro permittendum esse, ut aliam uxorem ducat. Igitur hoc impedimentum est, non solùm matrimonium contrahendum impediens, sed & contractum dirimens. Per opem Medicorum intellige per incisionem, vel per alium modum, qui absque gravi læsione corporis fit, *c. Fraternitatis inf. eod.* Nam cùm mulier per contractum matrimonii obligata sit viro ad consummandum matrimonium, idcircò rectè petitur removeri hoc vitium corporis, ut ita ad consummationem matrimonii deveniatur. Prudenter quoque

quoque fecerit judex, si & in hac re providas & honestas matronas adhibeat ad explorandum, utrùm mulier integra an corrupta sit, *d. c. Fraternitatis, circa pr.* Quòd si adhuc illæsa sit, nec ope Medicorum succurri possit, tunc rectè judex per divortii sententiam utrumque à se invicem separat, *d. c. Fraternitatis.*

2 Ad submovendam autem omnem difficultatem consultò fecerit Judex, vel alius quisquam, si mulier hac de causa separatæ à viro, vel nondum separatæ suadeat ingressum Religionis monasticæ; cùm matrimonii vinculum, si quod fortè subest, eo ipso dissolvatur, *c. 2, & c. Ex publico 7, sup. De convers. conjugator.* Et sic nullum periculum imminebit viro, cum alia muliere rursus matrimonii ineundi, *d. c. Fraternitatis.*

Quòd si verò mulier, separatione factâ, vel 3
nullâ emissâ professione Religionis, ab alio cognoscatur, ut ita idonea reddita sit viro, hoc casu matrimonium prius redintegrandum est, cùm jam constet vitium corporis non fuisse perpetuum & immedicabile, sed naturaliter removeri potuisse, *sæpe alleg. c. Fraternitatis.* Cætera quæ huc spectant, videri possunt tractata ab Henrico Henriquez *tomo 1, Theolog. moralis c. 7, n. 5, & qui latius tradunt Dd. ad cap. Laudabilem h. t.*

In Cap. Consultationi 4.

SUMMARIA.

1. *Contrahens scienter cum impotenti an ab ea separandus.*
2. *Conjuges simul degentes continentiam vovere possunt.*

QUæ hactenùs dicta sunt de frigidis, spadonibus, castratis, & mulieribus obstructis, ea utique exaudienda sunt, si ignoran-
1 ter cum iis contractum sit matrimonium. † At si scienter, quid juris sit, hoc cap. deciditur, quòd scilicet fratris & sororis loco habendi sint, *text. hic & in c. Laudabilem, vers. quod si ante inf. eod.* quòd scilicet attinet ad domestica officia utrimque præstanda; non autem quoad complexus, oscula inhonesta, & cætera, ut rectè defendit Mart. Navar. *cons. 2, num. 10, & cons. 3, h. tit.* Ex quibus infertur, eum, qui sciens & prudens cum impotente antea contraxit, & postea cum idoneo vel idonea, hoc posterius matrimonium ratum habendum esse, non obstante priore matrimonio, quod ipso jure nullum fuit, cùm in eo deficiat institutio matrimonii, & aperrè probat *text. hic*, dum inquit: *ut quas tamquam uxores habere non possunt, habeant ut sorores.* Simile dicitur *in d. vers. quod si ambo.* † Facit pro decisione textus nostri *can. Quod Deo patri XXXIII. qu. 5*, quo conjuges simul commorantes continentiam vovere possunt, quia & tunc fratris & sororis loco sibi invicem esse incipiunt: & quod D. Paulus de uxoribus Apostolorum inquit, Numquid non habemus potestatem & mulierem sororem circumducendi? 1, *ad Cor. 9.* Cujus mentio *in can. Omnino dist. 31.*

IN Cap. ultimum.

SUMMARIA.

1. *Facti species.*
2. *Cap. hoc an de maleficiatis accipiendum?*
3. *Maleficium an & quando dissolvat matrimonium.*
4. *An necessaria inspectio mulieris?*
5. *Triennium cohabitationis quando currere incipiat.*
6. *Tempus hoc continuum an nullâ absentiâ interrumpi possit?*
7. *Maleficiatus post separationem, si aliam cognoverit, non restaurari prius matrimonium.*

VAriè hunc textum exaudiunt Interpretes nostri. Quidam enim intelligunt de frigidis, quidam de maleficiatis: tertii de quolibet impotente ad complendam copulam. Sed facti speciem proponamus, ex qua verior & certior ejus sententia eruatur † Erat mulier, quæ 2
conquerebatur apud summum Pontificem de impotentia viri sui Quæ causa cum demandata fuisset certis judicibus, proposuit coram eis mulier, quòd cum ante octo annos matrimonium cum viro suo contraxisset, eidemque diu cohabitasset,

rètisset, se adhuc manente integrâ, eò quod vir destiturus esset à facultate cognoscendi eam: idcircò se petere, ut à viro separetur per sententiam divortii. E diverso respondet maritus, se quidem fateri, quòd eam numquam cognoverit, non tamen impediri, quin possit alias mulieres cognoscere. Itaque delegati judices, ut omnis suspicio fraudis tolleretur, fortè ita inter se colludentibus viro & muliere, curârunt eamdem mulierem inspici per matronas bonæ existimationis, fide dignas, & in re matrimoniali versatas, quæ testatæ sunt illæsam sive incorruptam adhuc esse mulierem. Deinde mandarunt inquiri per Parochũ, utrùm vir aliquando aliam mulierem cognovisset: verùm hujus rei notitia haberi non potuit. Urgente verò muliere divortium, & viro se subjiciente consilio Ecclesiæ, id est, judicio Ecclesiasticorum judicum, judices delegati utrique injunxerunt, ut pœnitentiam agerent de delictis à se admissis. Fortassè enim per pœnitentiam Deum placatum iri, ut consummationem matrimonii annuat. Qui eùm post plures terminos reversi essent ad eosdem judices, unâ voce confessi sunt, quòd sibi invicem commisceri non possint. Unde hac de re consultus S. Pont. rescribit hoc cap. nostro, ut, si ita est, & prædictis octo annis durantibus per triennium continuum simul cohabitaverint, neque commisceri potuerint, ipsis restantibus hoc juramento suo, unà cum septimâ propinquorum manu, matrimonium inter ipsos dirimatur.

2 Ex hac facti specie satis elucet, hoc cap. accipiendum esse de maleficiatis, cùm agatur de viro non simpliciter impotente, sed tantummodò quoad mulierem, quam in uxorem duxit. At hoc maleficii indicium est, non frigiditatis, quæ generalis est, quoad omnes mulieres. Secundò, utrique mulieri & viro pœnitentia injungitur, ut si fortè eâ peracta Deus impedimentum auferat. At in frigiditate submovenda pœnitentia necessaria non videtur, sed tantùm, ut ad tempus operadetur rei matrimoniali, sicut superioribus capitulis explicavimus. Tertiò est textus *in can. Per sortiarias* XXXIII. *q.* 1, ubi & propter maleficium matrimonii fit separatio.

Et quamvis hunc textum rejiciat Innoc. *hic*, tamquam non authenticum, ea ut videtur ratione, quòd maleficium non perpetuum, sed temporale impedimentum contineat, sanabile saltem per eum, qui maleficium intulit, sicut de muliere obstructa suprà diximus; & consequenter Innoc. hunc textum nostrum non de maleficiato, sed de naturaliter frigido intelligat: attamen huic sententiæ refragatur communis Dd. interpretatio, testibus Panormit. & Præpos. *hic*, qui de maleficiato hunc textum exaudiunt. Accedat præterea, quòd cùm Tit. noster inscriptus sit, *De frigidis, & maleficiatis*, nullibi in contextu nostro mentio fiat maleficiatorum, nisi hoc cap. ultimum de maleficiatis accipiamus, præterquam quòd moneat nos quotidiana praxis, qua matrimonia propter maleficia dissolvuntur, sicut ex Hostiensi tradit Henr. Bohic *ad cap. Fraternitatis num.* 10, *sup. eod.* Consuetudo autem optima juris interpres est, *l. Si de interpretatione* 37. *D. De legib. cap. Cum dilectus* 8. *De consuet.* Neque vera est ratio ipsius Innoc. quòd semper maleficium curari possit, saltem per eum, qui maleficium intulit. Quid enim, si mortuus sit idem maleficus? aut non possit, vel non velit, vel nesciat maleficium auferre? Quid si non nisi per aliud maleficium? an idcirco implorandum ejus auxilium? Minimè: cùm illud magis à dæmone petereturr, cujus commercium omnibus interdictum est, *can. Qui sine salvatore* XXVI. *q.* 2.

Ex his constat, matrimonium propter maleficium dissolvi posse, etiam quoad vinculum, non quidem statim, sed elapso triennio cohabitationis, & peracta pœnitentia pro delictis. Deinde utroque conjuge jurante cum septima propinquorum manu (*ut sup. eod. ad cap.* 1, *diximus de frigido*) quòd se invicem cognoscere non potuerint, secundùm formam hujus cap. nostri. 3

Sed an necessaria est inspectio mulieris? Quod certè non putant Joan. Andreæ & Panormit. *hic*, propter textum *in d. can. Si per sortiarias* XXXI. *qu.* 1, ubi nulla fit mentio inspectionis mulieris. Et quamvis hoc textu nostro ejus fiat mentio, non tamen ea adhibita fuit necessariò, sed majoris cautionis causa: nam, ut singulariter inquit Gl. *hic in fine*, omnis cautela, quæ adhiberi potest in talibus est adhibenda propter periculum animæ. Idem fit & in aliis rebus gravioribus, *cap.* 3, *De elect. lib.* 6, *can. fin.* VII. *qu.* 2, *& l.* 1, §. *nam vel magis D. De Carbon. edicto.* Quare in viduarum nuptiis cùm inspectio non habeat locum, omissa ea rectè proceditur juxta formam jam dictam. Panorm. *hic.* 4

De triennio continuo hic quæritur, quando currere incipiat? Respondet Hostiens. *hic* à tempore injunctæ & peractæ pœnitentiæ. Innocentius verò, Vincentius, & Abbas antiquus putant sufficere triennium, sive ante sive post pœniten- 5

tiam, quem sequitur Panorm. *hic, per hunc text. nostr in fine*, intra prædictos octo annos. Nam loquitur de annis, qui præcesserunt querelam institutam coram judicibus. Addit tamen Panorm. quòd post pœnitentiam injunctam debeant cohabitare simul, pro arbitrio ipsius judicis, ut & idem textus probat in verbis, *& si fortè placeret Deo.*

6 Sed an continuum tempus ita interpretabimur, ut nulla absentia interrumpi possit? Quod planè videtur, cùm continuum illud dicatur, quod continenter numeratur, prout labitur & currit, *l. Si sic constante 7, D. Quemad servit. amittan. & l. 4, §. Stichus D. De statu liberis*, ubi annus ita definitur, qui ex continuis diebus trecentis sexaginta quinque constat. Sunt qui contrà sentiunt, asserentes triennium continuum necessariò non requiri: sed satis esse, si triennium cohabitationis quocumque modo impleatur, ac proinde si triennio illo maritus fuerit absens per sex menses, potest hoc tempus suppleri ex alio tempore cohabitationis. Quæ posterior sententia placet ipsi Panormit. cùm si continuum esset tempus, facilè impediri possent negotia necessaria alibi expedienda per maritum vel mulierem. Atque hanc sententiam putat Panormit. esse de mente literæ, hoc est, auctorem textus nostri id tacitè intellexisse, quamvis quoad corticem, hoc est, verba nudè inspecta videatur contrarium innuere.

7 Hic incidit alia quæstio, Utrum si, dissolutione factâ matrimonii propter maleficium, ut antè dictum est, aliud rursus matrimonium cum alia muliere inierit maleficiatus, eamque cognoverit, restaurari debeat prius matrimonium, prout de frigidis *sup. eod. ad cap. 1*, diximus? Et rectè sentiunt, qui negant, per text. *in d. can. Si per sortiarias.* Alia enim ratio est in frigido, alia in maleficiato: siquidem frigiditas impedimentum est naturale, non restrictum ad certam mulierem, sed ad omnes mulieres. Unde dici non potest vir frigidus, qui aliam cognovit, cùm eodem modo potuisset uxorem suam cognoscere. Quare hujus matrimonium prius contractum restituitur, *c. Laudabilem 5, sup. eod.* At maleficium sæpè ad unam personam constringitur, puta ad uxorem, ita quòd maleficiatus reliquas mulieres possit cognoscere, non autem uxorem suam. Quo fit, ut si maleficiatus, divortio facto, aliam duxerit, eamque cognoverit, non tamen ideo maleficium sublatum intelligatur, quoad priorem uxorem; proindeque prius matrimonium non restituitur. Quam diversitatis rationem adfert Panormit. *ad cap. 1, in fine sup. eod.* & Dominicus Soto *in IV. Sentent. dist. 34, art. 3*, ubi tamen rectè monet, si fortè vir cum priore conjuge, à qua propter maleficiũ separatus fuit, privatim cum eadem congrediatur, eamque cognoscat, quòd hac specie matrimonium prius restitui debeat, eadem ratione, quam de frigido attulimus. Vide latiùs eumdem Dom. Soto *d. loco* & Martin. Del-Rio *Disquisit. Magicar. lib. 3, quæst. 4, sect. 6.*

IN TIT. XVI. DE MATRIMONIO CONTRACTO CONTRA INTERDICTUM ECCLESIÆ.

SUMMARIA.

1. *Interdictum Ecclesiæ circa matrimonia quàm vim habeat.*
2. *Quid si non obstante interdicto contractum fuerit matrimonium?*
3. *Pœna contemnentis interdictum judicis.*
4. *Intellectus* cap. penult. sup. De sponsa duor.

HUnc Tit. brevibus verbis perstringam. In quo tractatur de matrimonio contra interdictum Ecclesiæ, id est, Ecclesiastici judicis contracto. † Solet enim quandoque Judex
1 Ecclesiasticus interdicere matrimonium inter duos contrahendum, vel quia alter eorum antea cum alio tertio sponsalia contraxerat, *ut in cap. 1. & in cap. 2, inf. hoc tit.* quæ nefas est violari sine causa, *c. De illis 7. § fin sup. De desponsat. impub. juncta l. 1, in pr. D. De constit. pecun.* vel quia intelligit sive metuit judex inter contrahentes subsit impedimentum consanguinitatis, affinitatis, aut aliud canonicum impedimentum, *cap. fin. inf. eod. & cap. penult. sup. De sponsa duor. cap. pen. sup. De desponsat. impub. cap. Cum in Apostolica 18, De sponsal.* Ne igitur matrimonium contra SS. Canones contrahatur, propter hujusmodi impedimentum, quod fortasse subest inter contrahentes, rectè interdicit judex inter eos matrimonium, donec de impedimento plenè cognitum sit, *jurib. allegatis*

Sed statuamus nihilominus contractum esse a matri-

matrimonium, non obstante interdicto judicis, nunc matrimonium constabit? In sponsalibus expediti juris est, quòd ea solvantur per matrimonium subsequens cum alio aliave, *c. Sicut 22, & cap. Si inter 31, sup. De spons.* Idem est, si nullum reverà subest impedimentum canonicum inter contrahentes; nam & tunc valere matrimonium dubitare non convenit, eò quòd interdictum judicis non est impedimentum à Canonibus introductum, ut matrimonium contractum dirimat, sed ut impediat tantummodò, donec de causa cognitum sit impedimenti objecti.

3 Ne tamen interdictum judicis impunè contemnatur, aut elusorium sit, distinctio quoad pœnam hæc adhibetur, ut, si agatur de impedimento, perpetuam causam habente, quale est impedimentum cognationis, affinitatis, publicæ honestatis, & similium, de quibus suprà suis locis egimus, matrimonium quoad cohabitationem mutuam interim separetur, quousque de impedimento constiterit: quo probato matrimonium penitus dissolvitur, aut potiùs declaratur nullum inter ipsos contractum fuisse matrimonium, *c. fin. inf. eod.* Si agatur de impedimento temporali, veluti de sponsalibus, quæ perpetuam causam nõ habent, sed multis modis, præcipuè per matrimonium subsequens dissolvuntur, sicut latiùs videre est in Summa mea *t. de sponsalib.* contrahentes quidem à se invicem separari non debent, sed pro arbitrio judicis pœnitentia ipsis imponitur, vel etiam disiunguntur ad tempus à cohabitatione mutua, *c. 1, & 2, h. t.*

Ex quibus liquet, quo sensu accipiendus sit textus *in d. c penult. sup. De sponsalibus.* quo matrimonium irritatur contractum contra interdictũ judicis Ecclesiastici: quo scilicet interdixerat judex, ne partes pendente judicio de matrimonio, aliud interim matrimonium inirent. Quod cùm secùs factum esset, consultus hac de re S. Pont. *poteris*, inquit, *matrimonium tam præsumptuosè contractum irritare.* Nam hoc verbum, *irritare*, non ita simpliciter accipiendum est, quasi matrimonium planè & penitus irritandum sit, sed quoad judicium institutum de priore matrimonio, ut scilicet posterioris matrimonii usus tam diu irritetur, quousque prioris matrimonii controversia definita fuerit, *per text. in d. cap fin. h. tit. Gl. & Innoc. ad d. c. penult.* Rationem autem diximus, quòd interdictum non sit impedimentum, matrimonium, si contractum sit, dissolvendi. 4

IN TIT. XVII. QVI FILII SINT LEGITIMI.

SUMMARIA.

1. *Legitimi filii aut nascuntur.*
2. *Aut fiunt per subsequens matrimonium, per rescriptum Principis.*
3. *Item per adoptionem, per nominationem patris.*

1 EX filiis quidam legitimi sunt, quidam illegitimi. Legitimi aut nascuntur, aut fiunt. Nascuntur ex justo matrimonio, quales hi præsumuntur, qui domi ex uxore nati sunt, *l. Filium 6, D. De his qui sui vel alieni jur sunt*, vel saltem ex eo matrimonio, quod publicè & bona fide cõtractum est, etiam si reverà nullum sit, propter latens impedimentum canonicum, *c. 2, & ibi latiùs dicam inf. eod.*

2 Fiunt autem legitimi per subsequens matrimonium cum concubina vel alia muliere, ex qua susceptì sunt, *cap Tanta est 6, ubi etiam latiùs inf. eod.* Item legitimi fiunt per rescriptum summi Pontificis, sive supremi Principis sæcularis, *de quibus in cap. Per venerabilem 13, inf. hoc eod tit.* Reliqui liberi, qui illegitimi sunt, dicuntur naturales, nothi, spurii, manzares, adulterini, qui quales sint, explicabitur *ad d cap. Per venerabilem.* De his igitur omnibus agitur Tit hoc nostro.

Sunt & jure civili alii modi legitimandi, videlicet per adoptionem, per oblationem curiæ, de quibus *tit Instit. De nupt. l. 3, & l. Communium 9, C. De natural lib.* Item ubi pater liberos suos naturales vocat in testamento, sive in instrumento publico, sive privata manu scripto habente subscriptionem trium testium, non adjiciendo tamen, quòd liberi naturales sint, uti videre est *in Nov. 89, & 217, & in Auth. Sine legitimis cum Auth. seq C jam d. tit.* Verum de his nulla hoc Tit. mentio est. 3

In Cap. primum.

SUMMARIA.

1. *Species facti.*
2. *Causa successionis hæreditariæ quatenus sit fori Ecclesiastici.*

1 SPecies facti hæc proponitur. Quidam Herennius nomine cùm Titiam in uxorem duxisset, & hæc patri suo defuncto succedere vellet, intervenit patruus Titiæ, volens eam exhæredare, id est, submovere ab hæreditate patris (ita enim hoc verbum, exhæredare, exaudiendum est) ideò quòd nata fuisset, antequam pater ejus matrem in uxorem accepisset. Unde prætendit eam illegitimam esse, & subsequenter incapacem hæreditatis paternæ. Hujus rei querelâ ad S. Pont. delatâ, mandat hoc textu nostro Alexander III. Titiam hanc censendam & declarandam esse legitimam filiam patris sui, patruoque inhibendum, ne hæreditatis paternæ nomine ei molestiam inferat, adjectâ pœnâ excommunicationis, si contrà fecerit.

Hic principio occurrit, liberos antea natos per subsequens cum eâdem muliere matrimonium effici legitimos, quod ad *cap. Tanta 6, inf. eod.* fusiùs persequemur.

2 Cæterum mirum videtur, cur de successione hæreditariâ, quæ à jure civili inventa & prodita est, & ob id ad sæculare judicium propriè pertinet, immisceat se hoc cap. nostro S. Pont. contra textum *in cap. Causam 7, inf. eod.* Sed respondetur, quod cùm successio hæreditatis in specie cap. nostri pendeat ex jure matrimonii, rectè eo prius deciso, quòd scilicet Titia legitima filia fuerit patris sui, decernitur quoque per quamdam consequentiam, ne in succedendo patri impediatur per patruum. Si enim filia est, ergò hæres. Quo argumento est usus D. Paulus *ad Rom. c. 8*, Si filius est, ergò & hæres. Quid enim necesse est de hæreditate judicium novum institui, cùm ejus causa per necessariam consequentiam jam decisa sit, latâ scil. sententiâ pro matrimonio. At si talis causa sit, quæ ex matrimonio non pendet, veluti si filius ejectus ex possessione rerum hæreditariarum agat interdicto recuperandæ possessionis, ea utique non est fori Ecclesiastici, sed sæcularis, cùm nihil commune habeat cum matrimonio, imò ne quidem cum causa hæreditatis, *l. Naturaliter 12, § 1, D. De acquir. vel amit. possess.* ac proinde Ecclesiasticus judex hac in quæstione malè additur, sed adiri debet judex sæcularis, secundùm decisionem textus nostri, *in d. can. Causam q. 7*, & ille eum ante omnia restituere, omissâ causâ matrimonii, sive jure, quo filius hæres sit, *c. In literis 5, sup. De restit. spoliat. & l. 1, § qui à me D. De vi & vi arm.* Sic fit, ut si sola petitio hæreditatis instituitur, nulla quæstione status mota, legitimus an illegitimus filius sit, nullius alterius judicis cognitio fit, quàm sæcularis judicis. Butr. *hic.* Adde quæ dicam latiùs *ad c. Lator inf. eod.*

In Cap. Cùm inter 2.

SUMMARIA.

1. *Liberi ex putativo matrimonio nati an legitimi?*
2. *An & quorum alter malâ fide contraxit?*
3. *An & pendente lite super impedimento matrimonii?*
4. *Litis contestatione induci malam fidem.*
5. *Liberi omnes separato matrimonio alendi à parentibus.*
6. *An communibus expensis?*
7. *Alimentorum nomine quæ veniant.*

CErti juris est, liberos ex justo matrimonio natos esse legitimos, & parentum suorum in hæreditatem successores, § *qui igitur Instit. De patr. potest. juncto § 1, & passim Instit. De hæred. quæ ab intestato defer. & § legitimi & ibi Glos. Nov. 89, Quib. modis naturales effic. sui.* Si verò liberi ex justo matrimonio nati non sint, propter latens impedimentum canonicum, veluti consanguinitatis, affinitatis, vel alterius, quid juris sit, his duobus capp. constituitur.

1 Et quidem textus noster *in cap. 2*, eos non minùs legitimos esse pronuntiat, quàm si ex vero matrimonio nati essent, dummodò parentes eorum publicè & sine contradictione contraxerint matrimonium. Publicè, intellige præmissa denuntiatione in Ecclesia, ut rectè hic interpretatur Gl. & probat textus *in c. fin. sup. De clandest. desponsat.*

sponsat. nisi aliter usu receptum esset, ut hæc denuntiatio omitteretur, sicut latiùs tradidimus *ad d. c. fin.* Adde & bonam fidem, quòd scilicet parentes contrahentes matrimonium ignoraverint se impedimento aliquo canonico detineri, *cap. pen. inf. h. t.* Ut enim liberi ex tali matrimonio putativo habeantur legitimi, necesse est, utrumque concurrat, videlicet quòd parentes publicè & bonâ fide contraxerint. Si enim utrumque, vel alterum desideretur, non erunt legitimi liberi, *d. cap fin. § si quis, & cap. Referente* 10, *inf. eod.* † Benignè
2 tamen receptum est in favorem liberorum, ut si alter parentum dumtaxat in bona fide sit, alter in mala, nihilominus liberi ex tali matrimonio nati legitimi habeantur, & utrique parentum legitimi hæredes sint. *d. cap penult Glos.* Innoc. Præpos. *ad d. cap fin. De clandest. desponsat.* Et enim monstrum esset, inquit Glossa, si quis esset partim legitimus, partim illegitimus, quemadmodum ut quis partim liber sit, partim servus, *l. Duobus* 30, *D. De liberali causa.* Adeò quòd sufficiat eos conceptos esse, licet postea pater moriatur, vel matrimonium per sententiam divortii dirimatur, propter responsum Pauli Jurisc. *in l. Qui in utero* 7, *& l. Paulus* 11, *D. De statu hom.* Qui in utero est (inquit Paulus) perinde ac si in rebus humanis esset, custoditur, quoties de commodis ipsius partus quæritur: & & notant Glos. & Panorm. *hic.*

Non ignoro, de jure civili non valere matrimonium, quod ab ignorantibus parentibus ita contractum est, sed spurios haberi liberos, *l. 3. C. Soluto matrim.* Verùm non sequimur hac in re jus civile, *c. fin. inf. De secund nupt.* Cùm enim Ecclesia sustineat hoc matrimonium, quod publicè & bonâ fide contractum est, donec constet de impedimento canonico: rectè quoque liberos ex eodem matrimonio natos legitimos pronuntiat, & consequenter legitimos hæredes parentum suorum, siquidem unum ex altero subsequitur, ut dictum sup. *ex ipso D. Paulo ad Rom. c.* 8.

3 Illud verò notandum est ex hoc *cap.* 2. quòd pendente lite super impedimento matrimonii, nihilominus interea concepti liberi non minùs legitimi sint, quàm si ante litem essent concepti. Sufficit enim liberos conceptos esse ante sententiam divortii. Idem notant hic Panorm. & Ant. Butrius. Et ratio in promptu est: si enim pendente lite, matrimonii usus minimè interdictus est, sicut probat text. *in c. 2, sup. Vt lite pend. nihil innov.* non debet ex eo, quod legitimè factum est, ulla pœna sequi, *vulg. l. Gracchus C. Ad L. Iul. De adult.*

Non obstat, quòd per litis contestationem in- 4
ducatur mala fides, *l. Sed etsi lege* 28, *§ si ante litem D. De petit. hæred.* Quia id obtinet in rei vindicatione & petitione hæreditatis, in quibus possessor etiam bonæ fidei tenetur unà cum re, quæ petitur, restituere fructus tam perceptos, quàm qui percipi potuerunt, tamquam per litis contestationem factus sit malæ fidei, *l. Certum* 22, *C. De rei vindic. § 3, Instit. De officio jud.* At secus est in lite super matrimonio. In ea enim liberi, tamquam ex aliena re percepti, non petuntur, sed tantummodò ut separetur matrimonium, propter impedimentum canonicum. Manent igitur hi liberi parentibus suis, etiamsi fortasse ob controversiam factam de matrimonii validitate dubitari incipiat.

Quod autem postremò in *hoc c.* 2, subiicitur de 5
hujusmodi liberis alendis à parentibus post separatum matrimonium, id commune est omnibus liberis, etiamsi scientibus parentibus ex hoc vel alio damnato concubitu nati sint, *per text. in c. Cùm haberet* 5, *inf. De eo qui duxit in matr.* Idque ex æquitate juris Canonici adversus rigorem juris civilis, quo prohibentur ali hujusmodi liberi à patre, *Auth. Ex complexu C. De incest. & inutil. nupt.* Quod latius persequere apud And. Gail. *lib.* 2, *Obs.* 88.

Cæterùm hîc quæritur, an communibus utri- 6
usque parentis expensis ali debeant? Non existimo; sed primo triennio ali debent à matre, deinde à patre, *l. pen. C. De patr. potest.* nisi alter parentum inops sit: nam hoc casu in subsidium alteri incumbit præstatio alimentorum, *l. Si quis cum liberis* 5, *D. De liberis agnosc.* Bald. *ad d. l. pen.* † Ali- 7
mentorum autem appellatione omnia veniunt, quæ ad vitam degendam sunt necessaria, ut sunt cibaria, vestitus, & habitatio, quia sine his corpus ali non potest, *l. Legatis* 6. *D. De aliment. & cibar. leg.* item venit potus necessarius, *l. Verbo victus* 43, *D. De V. S.* Ubi tamen meminisse oportet, si filius se alere possit operis suis, non teneri parentes ad eum alimentandum, *d. l. Si quis à liberis § sed & si filius, & ibi* Bart. præterquam si ejus conditionis sit filius, ut dedecus esset operas suas alteri locare, Panormit. *ad c. 2, sup. De conver. infid.* siquidem illud nos posse dicimur, quod salva dignitate nostra fieri potest, *l. Nepos Proculo* 125, *in fine D. De V. S.* Et quod eleganter dicit Papinia-

nus: Quæ facta lædunt pietatem, existimationem, verecundiam nostram, & (ut generaliter dixerim) quæ contra bonos mores fiunt, nec facere nos posse credendum est, *text in l. Filius* 15, *D. De condit. instit.*

In Cap. Transmissæ 3.

SUMMARIA.

1. *Neganti filium suum esse an fides adhibenda?*
2. *Ex educatione non ducitur firmum argumentum filiationis.*
3. *Filiatio probanda certis indiciis & testibus.*
4. *Certa indicia sunt, primò, si filius domi natus sit.*
5. *Licet mater interim cum alio consueverit.*
6. *An & si mater alibi pepererit?*
7. *Quid si neget mater partum ex marito conceptum esse?*
8. *Præsumptio pro filio admittit probationem in contrarium, ex absentia diuturna.*
9. *Item ex infirmitate mariti, vel alio vitio.*
10. *Secundò indicium filiationis præbet educatio.*
11. *Tertiò nominatio patris.*

NEsennius cùm Titium à puero educâsset, cohabitante sibi Mæviâ, cum qua postea contraxit matrimonium, ex eadem filios sustulit. Mortuo Nesennio, filiis ejus hæreditatem petentibus, intervenit Titius, gerens etiam se pro filio & hærede, licet à vicinis spurius diceretur. E contrà verò Nesennius & Mævia negabant Titium spurium suum aut legitimum filium esse (intellige superstite Nesennio, nam de ejus hæreditate hîc agitur, cum aliter viventis nulla sit hæreditas, *l.* 1, *D. De hæred. vel act. vend.*) Sed dicebant se pietatis intuitu eum educâsse. Qua de re consultus S. Pont. rescribit hoc cap. nostro,
1 † standum esse negationi conjugum, nisi certis indiciis & testibus probetur esse filius. Ratio hujus decisionis est, quòd affirmanti non credatur, nisi id, quod affirmat, legitimè probaverit, *l.* 2, *D. De probat. & l.* 1, *C. eod. tit.* Igitur deficiente probatione, pro negante sententia fertur, *l. Qui accusare* 4, *C. De edendo & c. ult. §.* 2 *sup. De jurejur.* Neque juvat Titium, quòd ab eis educatus fuerit; † nam
2 ex educatione nullum firmum argumentum ducitur filiationis, cùm extraneus quandoque ab iis alatur, *l. Quidam cum filium* 123. *D. De verb. obl.* At verò probatio necessariò concludere debet, *l. Neque naturales* 10, *C. De probat.*

Itaque ad probandam filiationem opus est certis indiciis & testibus, juxta hunc textum nostrũ; 3
certis quidem quoad partem, quia hic non nisi indiciis, id est, conjecturis demonstrari potest: mater autem, cùm semper certa sit, etiam testibus, *l. Quia semper* 5, D. *De in jus vocando.* Hinc illud Telemachi apud Homerum:

Ex illo natum mater me dicit: at ipse
Nescio; nam certum quis possit ferro parentem?

Certa autem indicia sunt in patre, si filius ex 4
uxore sua domi natus sit. Nam eo ipso præsumitur ejus esse filius, *l. Filium D. De his qui sui vel alieni jur.* adeò licet uxor tempore cohabitationis adulterium admiserit, *per text. in l. Miles* 11, *§. defuncto D. Ad L. Iul. de adult.* Tradunt Panorm. *hic*, Bald. *ad l. fin. C. De communi servo manum. & in cap. Per literas sup. De probation.* Castr. *ad l.* 3, *num.* 5, *D. De liberis & posth.* Boër. *decis.* 299.

Et quamvis Alciatus *reg.* 3 *præsumpt.* existimet
non rectè deduci *ex d. §. defuncto*, ut etiam is præ- 5
sumatur ex marito conceptus, licet interim mater cum alio consueverit: siquidem ex his verbis textus, *cùm possit & illa adultera esse, & impubes defunctum patrem habuisse*, non statim sequatur, Ergò lex hoc præsumit; quia multa sunt possibilia, quæ tamen non præsumuntur, *d. l. Neque natales.* Unde hanc *d. § defuncto* rationem reddit, quòd judicium adulterii contra matrem institutum non debet nocere filio, ex quo res cum matre, non cum filio acta est, *l.* 3, *§. causæ cognitio D. De Carbon. edicto, & l.* 3, *§ pen. D. De jurejur.* Res verò inter alios acta alteri præjudicare non debet, *l. fin. C. Res inter alios acta.* Nihilominùs putat Alciatus eamdem sententiam veram, ideò quòd partui benignior sit. At verò in re dubia benigniorem interpretationem sequi non minùs justius est quam tutiùs, inquit juris regula, *in l. Ea quæ in partes § in re dubia D. De R. I.* &, ut eleganter ait Baldus, *ad l. Filium num.* 17, *D. De his qui sui vel alieni jur.* potiùs præsumitur possibile honestum, quàm possibile inhonestum.

Quâ

6 Quâ ratione Palæottus *in tract. de Nothis spuriisque filiis c.* 24. idem obtinere censet, etiamsi mater non in mariti ædibus, sed apud alium, cum quo commisceri solebat, puerum peperisset, si tamen eo in loco non invito viro habitâsset, maritoque ad eam liber quocumque tempore aditus patuerit; nam adhuc justus mariti filius intelligitur.

7 Sed & si asserat mater eum non ex marito, sed ex alio viro conceptum esse, tamen præsumptioni locus erit; ut scilicet ex marito potiùs susceptus dicatur. Nec enim matris professio nocere debet filio, *l pen. D. De probat. & per eumdem text. Palaot jam d. loco.* Idem tradit post alios Menoch. *de arbitr. jud. qu. casu* 59. *num.* 27 & Alciat. *d. præsumpt.* 37. *num.* 4. Hinc Bartolus *ad d. l. Filium num.* 2. improbat factum cujusdam Regis, qui ob confessionem matris morti vicinæ, quòd eum non ex patre Rege, sed ex milite suscepisset, Regno se abdicaverat, quia non tenebatur matri credere, *facit text. in Auth. Quod obtinet C. De probat. & in l.* 3. *§.* 1. *D. De S.C. Syllan* nisi fortè tam vehemens esset matris persuasio, ut ei credere deberet filius, & ob id læsam conscientiam haberet: nam hoc casu deberet filius abstinere ab hæreditate patris sui putativi, ne contra conscientiam agendo ædificet ad gehennam, *c. Literas* 11. *§ porro sup. De restit. spoliat. & cap. fin. sup. De præscript. de quo latiùs* Dominicus Soto *de just. & jure lib.* 4. *quæst.* 7. *art.* 2. Ex quibus liquet, nihil interesse, uxor adultera sit, sive publica meretrix, vel à marito suo discesserit, dummodò accessum ad eam maritus habuit, ita quòd ex se filius concipi potuerit, sicut docet etiam Covarr. *in IV. Decret p.* 2. *c.* 8 *§.* 3. *num.* 10.

8 Cæterum hic omittendum non est, præsumptionem hanc pro filio admittere probationem in contrarium; veluti si constet maritum diutiùs absfuisse, quàm filius ex ipso concipi potuerit, *d. l. Qui filium D. De his qui sui vel alieni jur. sunt.* Sicut declaravit Justinianus in filio, qui post mortem vel absentiam mariti undecimo mense completo natus erat, cùm partus tamdiu in utero contineri non possit, *Nov* 39 *de restitut. &c. § unum siquidem vers. mulier enim*, imò ne quidem ultra decimum mensem, teste Ulpiano *in l.* 3. *D. De suis & legit.* Qui tamen menses non præcisè sumendi sunt, sed etiam paulò ampliùs, videlicet duobus vel tribus diebus post decem menses, sicut probat Menoch. *loco sup. citat. num.* 40. *cum seqq.* Tametsi perfectus partus edi possit septimo mense, ex sententia Hippocratis, quæ extat *in l. Septimo* 12. *D. De statu hom.*

9 Secundò eliditur hæc præsumptio filiationis, si constet maritum infirmitate vel alio vitio laborare, ut generare non possit, *d. l. Filium.* Nec enim præsumptio ad impossibile trahi potest, *c. Quia verisimile* 10. *sup. De præsumpt.* & in certis non est conjecturæ locus, *l. Continuus* 137. *§.* 2. *in fine D. De V.O.*

10 Secundum indicium est filiationis, quæ ex tractatu sive educatione tamquam filii colligitur. Nam hac ratione constituitur in possessione filiationis: adeò ut filius verus intelligatur, donec contrarium probetur. Felin. *ad cap. Per tuas num.* 13 *sup. De probat. ex sententia* Ant. Abbatis, Bart. *& aliorum.* Palæot *in tract. de Nothis spuriisque cap.* 22. qui testatur id communi omnium opinione receptum esse, & probat textus *in l.* 1. *§* 1. *D. De quæstionib. & in l. Circa* 14. *D. De probat.*

Quod notandum est quoad successionem parentum & præstationem alimentorum, quæ debentur filio à parentibus. Et ratio est, commodum possessionis, quod in eo vertitur, ut possessor tamdiu in possessione retineatur, fructus, aliasque commoditates percipiat, donec possessione legitimè privetur, *l Quidam* 15. *D. De probat. cap. Querelam* 14 *sup. De elect. c.* 3. *De causa possess. & propriet. & §. commodum Institut. De interdict.* Dixi, ex tractatu sive educatione, quæ tamquam in filium collata est; aliàs sola educatio non sufficit, juxta textum nostrum.

11 Tertium indicium est, patris nominatio, non quidem nuda (cum & affectionis testandæ causâ quis nonnumquam filius appelletur, *Nemo* 58. *D. De hæred. instit. l.* 5. *C. De testam.*) sed quæ eo modo prolata est, ut enixam patris voluntatem ostendat: veluti si in judicio quis confessus sit, aliquem esse filium suum, *l.* 1. *§ Iulianus D. De lib. agnosc.* vel extra judicium, si spontè & deliberatè non perfunctoriè filium pronuntiaverit: ut si, verbi gratiâ, pater in epistola suâ ad uxorem missa quempiam filium suum compellaverit, *l penult. D. De probat.* aut filii nativitatem libro suo consignârit, sicut tradit Decius *ad cap. Per tuas sup. De probat.* Nam pater filium ita compellando, patrem se fatetur, & consequenter filium in possessione filiationis constituit, sicut tradit latè Covarr. *in* 4. *Decretal p.* 2. *cap.* 8. *§.* 3. *num* 8 Idem observatur in fratre, *l. In epistolis* 13. *C. De probat.* ut videre est latiùs apud Jacobum Menoch. *de arbitr. jud. casu* 89. *num.* 77. *cum seqq.*

Sed & hæc duo posteriora indicia sive conjecturæ

ctura necessariò non concludunt filiationem; sed his interim statur, donec probetur contrarium, *arg. l. Si chirographum 24. cùm l. seq. D. De probat.*

In Cap. Lator 5.

SUMMARIA.

1. *Causa matrimonialis pertinet ad Iudicem Ecclesiasticum etiam incidenter.*
2. *Quæstio status ad quem spectet.*
3. *Sententia in causa matrimonii non transit in rem judicatam; secus in causa status.*

1 QUemadmodum causa matrimonialis coram Judice Ecclesiastico cognoscenda & dirimenda est, si principaliter intentetur, *c. 2. sup. De judic.* ita & si incidenter in Judicium veniat, *per hunc textum nostrum.* Cùm enim nepos peteret partem hæreditatis avi sui defuncti, & patruus excipiendo eum repelleret, quòd pater suus non esset legitimo matrimonio procreatus, & consequenter nepos sit incapax hæreditatis avi sui (nam excluso patre ab hæreditate patris sui, excluditur & ejus filius, licet hic ex legitimo matrimonio natus sit, propter interruptam successionem ex capite patris, qui non legitimus est, *l. fin. C. De naturalib. lib.*) hæc quæstio natalium prius per Judicem Ecclesiasticum cognosci debuit, cùm præjudicialis sit ad causam hæreditatis, utpote quæ ex natalibus pendeat. Deinde rediti jubetur ad priorem Judicem sæcularem. Convenit cum eo textus *in c. pen. sup. De ordine cognit.* Quod tamen verum esse censent Doctores, si quæstio matrimonialis in jure, non in facto consistat; putà si disputetur de vi ipsius matrimonii, utrùm legitimè contractum sit, non ubi nulla de matrimonio contentio est, sed tantùm dubitatur, an filius ex tali matrimonio natus sit, quæ est quæstio facti, & idcircò rectè per Judicem sæcularem expeditur. In textu verò nostro agitur de jure matrimonii, an scilicet pater ex legitimo matrimonio natus sit: unde ad Judicem Ecclesiasticum hæc quæstio remissa fuit.

2 Non obstat textus *in l. 3. C. De judic. & in l. 1. C. De ordine jud.* ubi quæstio status, hoc est, an quis filius sit, vel servus defuncti, si incidat in petitionem hæreditatis, per eumdem Judicem deciditur, etiamsi principaliter Judex de statu cognoscere non possit. Non, inquam, obstat, quia quæstio status non est causa spiritualis sive Ecclesiastica, sed civilis. Unde mirum non est, si & Judex sæcularis de ea possit cognoscere. Ex quo fit, ut si civilis causa incidat in spiritualem, rectè quoque illa tractetur coram eodem Judice Ecclesiastico, *arg. dict. l. 3. & d. leg. 1.* & notant Butr. & Præpos. *hic per text. in cap. 3. sup. De donat. inter vir. & uxor.* Quia non repugnat jurisdictioni Judicis Ecclesiastici, ut causas civiles cognoscat & dirimat, *Authen. Clericus quoque, & Auth. Statuimus C. De Episc. & cleric. cap. Si diligenti 12. sup. De foro competenti.*

Præterea ex hoc textu notandum est, quòd licet sententia in causa matrimonii lata numquam transeat in rem judicatam, sed semper comperto errore revocari possit, *cap. Lator 7. sup. De sent. & re jud.* secus tamen esse in causa natalium, ratione hæreditatis, à qua si non fuerit appellatum, vel appellatum quidem, sed appellatio deserta est, sententia transit in rem judicatam. Cujus hæc ratio est, quòd in his sibi præjudicare potest pars, quæ appellavit, vel appellationem deseruit, cùm solùm ejus præjudicium sine ullo peccato vertatur. At in matrimonio cùm duplex sententia ferri possit, una contra matrimonium, altera pro matrimonio; priore casu ideo sententia non transit in rem judicatam, ne ii, quos fortè Deus conjunxit, per hominem separentur. Posteriore casu, si pro matrimonio feratur sententia inter eos, qui in gradu prohibito vel alias illicitè coniuncti sunt, ideo sententia non transit in rem iudicatam, quòd hic subsit periculum animæ, *c. Quod super 5. & c. penult. sup. De consang. & affinit.* Quod non est in nostro casu, & similibus, in quibus nullum subest periculum animæ; veluti si actum sit de matrimonio inter eos contracto, qui alioqui idonei sunt ad contrahendum matrimonium, & sententia lata sit pro matrimonio. Hac enim specie, si non appelletur, vel appellatio deserta sit, sententia pro matrimonio transit in rem iudicatam, cùm hic nullum subsit peccatum, & videatur is, qui non appellavit, vel deseruit appellationem, tacitè consentire in novum matrimonium. *Glos. add. c. Lator De sent. & re jud. latè* Andr. Gail. *lib. 1. obser. 112.*

In Cap. Tanta 6.

SUMMARIA.

1. *Liberi non legitimè nati fiunt legitimi per subsequens matrimonium.*
2. *An & nati ex matrimonio putativo?*
3. *Non interest, liberi sint nati ex concubina vel meretrice.*
4. *Legitimati hoc modo an succedant in bonis parentum.*
5. *An & legitimati matrimonio à senibus vel sub mortem contracto?*
6. *Et quid si matrimonium intermedium intercesserit?*
7. *An succedant in jure primogenituræ?*
8. *Filii Clericorum in minoribus an per matrimonium subsequens legitimi fiant.*
9. *Non fiunt legitimi ex adulterio nati.*
10. *Non ex Christiano & infideli.*
11. *Non ex incestu.*
12. *Et quid de nepote ex filio naturali?*
13. *Legitimatio hæc an procedat, sive nativitatis sive conceptionis tempore potuerit inter parentes consistere matrimonium.*

TEXtus hujus Capitis omnium ore decantatur, quem ut explicatiùs intelligamus, ejus verba hîc recensenda sunt: *Tanta est vis*, inquit, *matrimonii, ut qui antea sunt geniti, post contractum matrimonium legitimi habeantur. Sin autem vir, vivente uxore suâ, aliam cognoverit, & ex ea prolem susceperit, licet post mortem uxoris eamdem duxerit, nihilominus spurius erit filius, & ab hæreditate repellendus, præsertim si in mortem uxoris prioris alteruter eorum aliquid fuerit machinatus.* Hactenus textus. Ex quo
3 discimus, * quòd liberi antè non legitimè nati fiant legitimi per subsequens matrimonium inter eosdem parentes contractum, nisi nati sint ex adulterio, hoc est, vivente priore uxore. Idem constitutum est à jure civili; quo tamen præter matrimonium requiruntur dotalia instrumenta, *l. Cùm quis* 10 *C. De natur. lib. & §. fin. Instit. De nupt.* de quibus paulò pòst latiùs. Rationem textus nostri hanc reddunt Dd. quòd vitium præcedentis concubitus purgetur per matrimonium subsequens, *arg. l. 2. C. De his qui vi metusve caus. & l. pen. D. De condict. ob turp. caus.* & ita retrotrahatur matrimonium ad tempus conceptionis liberorum. Quæ ratio facit, ut in liberis adulterinis cesset hæc legitimatio per matrimonium, sicut fusiùs dicetur infrà.

Cæterùm hic quæstionis est, An idem obtineat in matrimonio putativo? ut, exempli causâ, Titius prolem suscepit ex Mævia consanguinea vel uxore alterius, quam talem esse ignorabat, postea cum ea solemniter & bonâ fide contraxit matrimonium: quæsitum est, an proles illa per hujusmodi matrimonium subsequens legitima facta sit? Quod existimat Bernard. *hic in V. aliam*, & Butrius *ad c. Quod nobis num. 6 in fine eod.* licet hic rem obscuritate suâ involvat. Ejusdem sententiæ videtur Dominicus Geminianus, *Consil. 66.* Et ratio hæc esse potest, quòd eumdem effectum habeat matrimonium putativum, quem habet verum & legitimum matrimonium, *c. 2. & ibi latiùs dixi supra eod. & c. pen. inf. eod.* 2

Econtra nititur Panormit. *hic num* 9. quòd scilicet hujusmodi proles non efficiatur legitima per subsequens putativum matrimonium: idque ex sententia Glossæ *hic in d. V. aliam*: sed malè, cum Glossa potius hanc sententiam rejiciat. Rationem hanc adfert Panormit. Quod enim liberi ex putativo matrimonio nati legitimi fiant, *ut in d. cap. 2. & d. c. penult.* id fit, quòd parentes eorum dederint operam rei licitæ, utpote matrimonio ante à bona fide & publicè contracto. Non verò ubi nullum matrimonium præcesserit; nam tunc parentes illicitæ rei operam dabant, atque idcircò nullum ex eo præmium consequi debent. Hanc Panormitani sententiam probat & Didac. Covarr. *in IV. Decretal. part. 2. cap. 8. § 2. num. 20.* & Franc. Sarmient. *Selectar. Interpret. lib. 1. c. 6. num. 3. versio. cum ergo*, quo loco eamdem Panormitani rationem adfert, licet obscuriùs. Præmittit *ibid. num. 2.* aliam hujus sententiæ rationem, quòd videlicet matrimonio hæc vis tribuatur. Inquit enim textus noster: *Tanta est vis matrimonii.* At verò matrimonium putativum non est proprium matrimonium, sed improprium. Igitur putativo matrimonio hæc vis tribui non potest: siquidem verba (inquit) regulariter simpliciter, non secundùm quid intelligi debent, *l. 1. § qui in perpetuum D. Si ager vectig. pet.*

Verum ratio Panormitani nullius momenti est, cum ea torqueri possit in omnes naturales liberos, in quorum procreatione parentes etiam operam dederunt rei illicitæ (quippe omnis concubitus, præter conjugalē, interdictus est, *can. Nemo*

 blan-

blandiatur & can. Meretrices XXXIV *quæst.* 4.) & tamen hoc textu naturales legitimantur per subsequens matrimonium. Sed nec altera ratio Sarmienti momentum habet. Nam ex ea sequeretur, etiam liberos ex matrimonio putativo postea natos non esse legitimos, cùm & hoc casu non sit proprium matrimonium. Neque dubium est, verba propriè accipienda esse, quando scilicet aliter non constat de mente loquentis, aut constituentis, *l. Non aliter* 67 *D. De legat.* 2. At verò constat, putativum matrimonium à jure æquiparari vero & legitimo matrimonio, quod attinet ad legitimationem liberorum, *d. c.* 1. *& c. penult. inf. eod.* Cur igitur, quod hoc textu nostro constitutum est de vero & proprio matrimonio, idem transferri non debeat ad putativum matrimonium? Unde priorem sententiam omninò amplectendam censeo, quam & Rota Romana & alii Dd. amplexi sunt, apud Covarr. *jam d. loco* & Ant. Gabrielium *commun. conclus. lib.* 6. *de legit. concl.* 1 *num* 4 & 6. licet, ut antè dixi, contrarium sentiat idem Covarr.

3 Neque interest in legitimatione, quæ fit per matrimonium subsequens, liberi nati sint ex concubina vel ex meretrice, cùm matrimonium cum utraque rectè contrahatur, *c. Inter opera* 10 *sup. De sponsal.* Item parentes dispares sint genere vel divitiis; siquidem disparitas hæc nihil quoque ad matrimonium pertinet, quod solo contrahentium consensu nititur, *c.* 1 *sup. De conjug. servor. juncto c. Cùm apud* 5. *De sponsf.* Covarr. *d.* §. 1 *num.* 9. Quo fit, ut nec instrumenta dotalia hoc jure nostro requirantur, licet de jure civili omninò necessaria sint ad hanc legitimationem, ut suprà meminimus.

4 Quæ certè indubitata sunt, quod attinet ad matrimonii vim & legitimationem liberorum. At difficultate non caret, utrùm obtineat quoad successionem hæreditariam in bonis parentum? Movet, quòd de jure civili non legitimentur per matrimonium, nisi soli naturales liberi, hoc est, qui domi ex concubina nati sunt, idque dotalibus sive nuptialibus instrumentis intervenientibus, §. 1. *Novell.* 89. *Quib. mod. natur. filii effician. legit.* & *l. Cum quis* 10 *C. De natur. lib.* Ergo cum hi soli liberi legitimentur per subsequens matrimonium, alii verò non nisi jure Canonico, propter matrimonium, quod propriè juris Canonici est, videtur hos ad successionem hæreditariam admitti non debere, cùm hæreditaria successio à jure Civili non Canonico introducta sit, *l.* 1. *D. De petit. hæred. juncto cap. Per venerabilem* 13. *inf. h. tit.* Et putat Præpositus *hic num.* 20 eos, qui jure Civili tantummodò legitimantur, tantummodò fieri parentum suorum legitimos successores in tertis Imperii; reliquos verò minimè, hoc est, qui solo jure Canonico legitimi facti sunt per matrimonium. Idem voluerunt Angelus Perusinus, & alii, quos refert Covarr. *d.* §. 2. *num.* 8. & multis rationibus confirmare nititur Ferdin. Vasq. *Illustr. controv. lib.* 6 *cap.* 41.

Verùm idem Covarr. eodem loco hanc sententiam non admittit. Siquidem (ait) ratione matrimonii filii censendi sunt legitimi etiam in foro Cæsaris, cùm matrimonium jure Pontificio judicetur, non Cæsareo. Unde consequens est, ut & successio hæreditaria ex matrimonio dependens ad omnes legitimos per matrimonium indistinctè pertineat. Si enim filii, quare non iidem hæredes? sicut D. Paulus loquitur, *ad Rom.* 5 Quare & contrariam sententiam meritò reprobant Alex. & Jason, quorum opinionem communem fatetur Car. Ruinus *cons.* 211 *col.* 2. *vol.* 1. *ut testatur* Covarr. *sæpè allegato* §. 1 *num.* 8.

Atque ideò non obstant rationes à Vasquio allatæ: eæ enim procedunt, quando prohibente jure Civili matrimonium contractum est; hac enim specie non habet locum patria potestas, non successio hæreditaria, aliaque, quæ juris civilis sunt. At verò cùm matrimonium apud Christianos jure Pontificio æstimetur, etiam in foro civili, necesse est eodem jure contracto matrimonio, sequi eosdem effectus, quos habet matrimonium ex se legitimè contractum; cùm hi necessariò consequantur ex matrimonio, quomodolibet jure Canonico legitimè contracto.

5 Idem juris est in matrimonio à senibus vel sub mortem contracto cum concubina aut cum alia muliere, ut & eorum liberi illegitimi per matrimonium legitimentur, & admittantur ad hæreditatem parentum suorum, cùm inter eos minimè matrimonium interdictum sit, *d. cap. Cùm apud sup. De sponsal. sicut videre est latiùs apud* Covarr. *sæpè citato loco* §. 2. *num* 10 & Ant. Gabriel. *suprà cit. loco num.* 18 & *præcipuè* Franc. Sarmient. *Selectar. Interpret. lib.* 1. *cap.* 6. *num.* 5. *cum seqq.*

6 Illud in controversiam vocatur, si matrimonium intermedium cum tertia persona intercesserit, & postea eâ mortuâ ad priorem matrimonii contrahendi causâ redeatur, an nihilominùs liberi ex priore nati per matrimonium secundum legitimentur? Exemplo res illustratur. Titius liberos genuit ex Mævia soluta, id est, nullo matrimo-

monio junctâ, deinde Semproniam duxit in uxorem; hâc mortuâ redit ad Mæviam, contrahitque cum ea matrimonium: quæritur, an per hoc matrimonium cum Mævia liberi antea nati fiant legitimi? Sunt qui negant, quasi legitimatio per interjectum matrimonium jam impedita sit, *argum. l fin C. De naturalib. lib. & l. Pomponius 13. § quæsitum D. De acquir. vel amitt. possess.* quâ possessio ab alio interrupta non continuatur cum præcedente. Sed rectiùs contra alii asserunt, quos recenset Didac. Covarr. *d. §. 2 nu. 18.* & Anton Gabriel. *d concl. 1. nu. 14.* Et ratio est, quia sufficit ad hanc legitimationem liberorum parentes tempore conceptionis eorum potuisse inter se contrahere matrimonium, sicut constat ex textu nostro. Neque impedit intermedium matrimonium, eò quòd morte sublatum sit: neque ulla fuit interruptio legitimationis, quæ nulla fuit, antequam posterius matrimonium contraheretur. Facit pro hac sententia elegans textus *in l. Tradendis 8. § 1. D. Communia prædior.* quo loco valet impositio servitutis altiùs tollendi vel non tollendi, item itineris per alium fundum, etiamsi ædes aliæ vel fundus interjectus sit; ita tamen, ut tunc convalescat servitus, si intermediis ædibus vel fundo postea similis servitus imposita, & sic impedimentũ sublatũ sit.

7 An autem hoc idem obtineat in primogenitura, major inter Dd. contentio est? Primogenituram sive primogenium voco jus, quo primogenitus præfertur fratribus suis, idque vel ex consuetudine, vel ex auctoritate Imperatoris, vel alterius Principis superiorem non agnoscentis, ut passim videmus in Regibus Ducibus, & Comitibus, quorum primò natus præfertur in successione parentum reliquis suis fratribus. Circa hanc primogenituram disputatur à Dd. nostris, an is filius, qui prior ex soluta muliere natus est, deinde alter ex legitima uxore, si postea hâc mortuâ uxore redeat pater ad priorem solutam, & cum ea matrimonium conveniat, an inquam prior filius utpote jam legitimatus per subsequens matrimonium præferri debeat secundo genito ex uxore legitima. Hanc quæstionem multis utrimque allatis auctoritatibus Dd. & argumentis latè examinat And. Tiraq. *in tract. suo de jure primogenit. quæst. 34 num 3 cum seqq. ubi sub num 4.* præfert secundo genitum naturali legitimato, ob rationes ab eo allatas, quas non attinet hic omnes recensere. Duas potissimùm adferam, quæ majoris videntur esse momenti. Quarum prior est: licet, inquit, naturalis prior naturâ tamen jure posterior est, quia naturale & civile vinculum, ex quibus constat successio, reperiuntur priùs in legitimè nato, quàm in legitimato. Igitur legitimus natus meritò præfertur legitimato. At quoties duo requiruntur ad jus aliquod consequendum, is potior est, in cujus persona ea duo priùs reperiuntur, *arg. l. Quoties C. De rei vindic.* Altera ratio est, quòd legitimatio non debeat trahi in præjudicium alterius, *per text. in § si quis sanè & in § sit igitur licentia Nov. 89 quib. mod. nat. effic. legit. text. optimus in c. Quamvis De rescr. lib. 6.* His favere videtur textus noster, dum inquit, *Legitimi habeantur*, quasi legitimati, non verè legitimi sint. Et hanc quoq; sententiam videtur sequi And. Cail. *lib. 2. observ. 141.*

Econtrà verò Did. Covarr. *in d. §. 2 nu. 35.* præfert legitimatum legitimo filio. Quod sanè probatur per hunc textum nostrum, in quo dicitur, liberos antè ex soluta natos fieri legitimos per subsequens cum eadem matrimonium. Nec movent verba, *Legitimi habeantur*, quia eamdem vim habent, ac si dictum fuisset, legitimi sint, quemadmodum docet *hic* Panorm. *num. 4.* asserens in habente potestatem legitimandi paria esse hæc duo, Sint legitimi, & habeantur pro legitimis. Quo verò ad rationes suprà allatas, prior quidem vera est in specie *d. l. Quoties*, eò quòd dominium rei venditæ non per nudum contractum emptionis, sed per traditionem transferatur, *l. Traditionibus 20. C. De pactis*: non verò ad propositam quæstionem accommodari potest, cùm secundo genito, licet legitimè nato, nullum adhuc jus in successione verè acquisitum sit, sed tantummodò habeat spem ad succedendum post mortem patris, quam spem jam antevertit & impedit legitimatio per subsequens matrimonium facta. Quâ responsione eliditur & posterior ratio. Etenim nullum præjudicium fit secundo genito, si, priusquam succedat patri, alter eum præveniat, propter qualitatem legitimationis, quæ per subsequens matrimonium accedit, & retrotrahitur ad tempus conceptionis prioris filii naturalis.

Nec hic omittenda est quæstio, quæ traditur à 8
plerisque de Clerico, qui in minoribus ordinibus constitutus, sustulit liberos ex concubina sua, an hi per matrimonium postea cum eadem contractum legitimi fiant? Bartolus *in l. 3 n. 5. D. De concubin.* distinguit inter Clericum beneficiatum, & non beneficiatum, ut hujus liberi legitimentur per subsequens matrimonium; illius verò minimè, eo quòd tempore conceptionis non poterat contrahi, & consistere inter eos matrimonium,

quod alioqui necesse est in hac legitimatione, ut paulò inferiùs latiùs docebitur. Eamdem sententiam Bartoli probat Franc. Sarmient. *Selectar. Interpret. lib. 6. c. 5. nu. 7. 8. & 9.* Sed verior est contraria opinio, quam tenent Butrius *num. 19.* & Joan. Andreæ, *cum aliis, quos recenset & sequitur* Did. Covarr. *in IV. Decretal. p. 2. c. 8. §. 2. num. 5.* & Ferdin. Vasquius *Illustr. Contr. lib. 6. c. 51. num 2.* Siquidem sufficit in hac legitimatione, quòd tempore conceptionis potuerit consistere matrimonium inter parentes, sicut ex textu nostro rectè colligit Joan. Andreæ, illud loco regulæ tradens, quod geniti ex quocumque concubitu, qui potuerat esse conjugalis, si tunc consensus matrimonialis intervenisset, ii per matrimonium subsequutum legitimentur. Quod & Butrio & Cardinali placet, teste Præposito *hic num 12.* At verò constat, Clericum in minoribus existentem etiam beneficiatum posse contrahere matrimonium, *per text. in c. 1. & c. 3. sup. De Cleric. conjug.* Quo fit, ut & idem retinendum sit in liberis Monachi vel Monialis susceptis intra annum probationis, ut & hi similiter per subsequens inter parentes matrimonium legitimi fiant; quemadmodum ex Butrio & Card. tradit idem Præpos. *d. num. 12.* Nam & hic subest eadem ratio, quòd scilicet parentes tempore conceptionis poterant matrimonialiter conjungi. Horum sententiæ suffragari videtur Covarr. *d. §. 2. num 5. in fine*, licet & hoc in casu Sarmient. *d. num 8.* his refragetur. Nec enim ejus ratio quidquam efficit, quòd asserat liberos ex Clerico vel Monacho natos ideo non legitimari per matrimonium, quòd eo tempore, quo concepti sunt liberi, pater non erat solutus. Imò solutus fuit, quia regulæ continentiæ nondum se addixerat, *c. Statuimus 23. sup. De regularib.*

9 Atque hæc hactenus de liberis, qui per subsequens inter parentes matrimonium legitimantur: nunc consequens est, ut videamus de iis, qui per matrimonium non legitimantur. Et quidem ex textu nostro liquet, filium adulterinum, hoc est, qui à viro, vivente uxore [illegible], ex alia muliere susceptus est, non legitimari uxore mortuâ per matrimonium cum adultera, sed manere spurium, id est, illegitimum. Idem est ex parte mulieris, si ea, superstite marito suo, filium ex alio susceperit, quòd nec hic filius per matrimonium cum adultero legitimetur. Quod tamen ita accipiendum est, quando filius utroque parente sciente ex adulterio susceptus est, non si alter tantummodò scivit, alter ignoret. Nam hujus bona fides efficit, ut filius ille legitimus fiat, subsecuto inter eosdem parentes matrimonio, sicut constat ex iis, quæ suprà in principio hujus Capitis adduximus. In adulterinis filiis utroque parente sciente conceptis hanc rationem reddunt Dd. quòd inter eos matrimonium tempore conceptionis consistere non potuerit. Nam, ut antè dixi ex Joan. Andr. in legitimatione, quæ per matrimonium fit, necesse est, ut concubitus potuerit esse conjugalis inter parentes. Idem multis auctoritatibus confirmat Ant. Gabriel. *lib. 6. De legit. conclus. 1. num 55.* Quod non est, ubi in adulterio procreati sunt filii.

10 Eadem ratione proles ex congressu Christiani cum Saracena vel alia infideli non efficitur legitima per matrimonium, etiamsi infidelis postea Christianis sacris initiata in matrimonium cum Christiano conveniat. Panorm. *hic num 14.* Neque enim antea inter illos matrimonium poterat consistere, *ut d. sup.*

11 Adde prolem ex incestu procreatam, puta inter cognatos & affines in gradu prohibito, qui si postea ex dispensatione summi Pont. contrahant inter se matrimonium, hanc prolem minimè legitimari per hujusmodi matrimonium, idque ob eamdem rationem. Adeò quòd hac in re pro regulâ observandum sit, quod quandocumque concubitus non potuit esse conjugalis inter parentes, numquam liberi fiant legitimi per subsequens matrimonium; & è diverso, quando conjugalis esse potuit, legitimi fiant.

12 Sed quid de nepote? Ponamus filium naturalem mortuum reliquisse ex justo matrimonio nepotem, an hic nepos per matrimonium postea contractum inter avum & aviam legitimus fiat? Negant Andr. Gail. *lib. 2. Obs. 141. in fine* & Anton. Gabr. *commun. concl. lib. 6. De legit. concl. 1 numer. 57.* ubi ejusdem sententiæ plures auctores enumerat. Movetur hac ratione Andr. Gail. quòd legitimationis principium fieri debeat in filio, quo sublato non potest fieri in nepote. Hæc ratio rem non satis explicat. Sed clariùs, ideo nepos non legitimatur, quòd pater ejus mortuus sit, & idcirco incapax legitimationis non potest ex patris persona legitimatio ad nepotem descendere, *arg. l. 1. §. ceterum D. De acquir. vel amit. possess.* Econtrà censet Covarr. *sæpè cit. §. 2. num 23.* ob hanc rationem, quòd quis possit adoptari in nepotem, non existente filio, *l. Adoptare 37. & l. Adoptivos 43. D. De adopt.* ergo & legitimari, mortuo filio. Quæ consequentia mihi vera non videtur, eò quòd adoptio in nepote incipiat, non vero in filio, quod

necess-

necesse est in legitimatione propter successionē. Nam videmus nepotem licet legitimè natum ex naturali filia non succedere avo suo, ideò quòd in filio naturali interrupta sit successio, *ut est text. in d. l. fin. C. De natur. lib.* Unde priorem sententiam
13 juri & rationi magis consonam existimo.

Restat ultima quæstio, quæ magnam difficultatem continet, utrùm satis sit in hac legitimatione, quòd matrimonium inter parentes potuerit consistere tempore nativitatis filii, an præcisè exigatur tempus conceptionis; ut si, exempli gratiâ, Titia ex adultero filium concepit, dum uterum gestaret mortua est adulteri uxor, & postea matrimonium contractum est inter adulterum & adulteram, antequam nasceretur filius: quæsitum est, an hic per matrimonium fiat legitimus? Quod volunt Hostiens. Joan. Andr. & alii. E diverso censent alii, omninò spectandum esse tempus conceptionis, ut Salicet. & Ant. Rosella, quos citat Covarr. *in sæpè alleg. §. 2. num. 2*, & pro his est text. *in l. Paulus 11, D. De statu hom.* Paulus respondit, inquit textus, eum, qui vivente patre & ignorante de conjunctione filiæ conceptus est, licet post mortem avi natus sit, justum filium ei, ex quo conceptus est, non videri. Ex quo apertè probatur, inspiciendum esse tempus conceptionis: ut, si eo tempore valuit matrimonium, filii legitimi sint; sin minùs, non sint legitimi, licet tempore nativitatis filii valuerit matrimonium: quia macula ex conceptione, non ex nativitate contrahatur. Ita rectè Franc. Sarmient. *Select. Interp. lib. 1, c. 5, num. 10.*

Qui verò priorem sententiam probant, ut & ipse Covarr. *jam d. loco*, nituntur textu *in l. Qui in utero D. De statu hom.* Qui in utero est, ait textus, perinde ac si in rebus humanis esset, custoditur, quoties de commodis ipsius partus quæritur. Igitur sufficit ad hanc legitimationem consequendam, partum aliquo tempore fuisse in utero solutæ mulieris. Sed non animadvertunt hunc partum ab initio fuisse adulterinum, nec vitium hoc intermedio tempore purgari, unde remanet semper adulterinus. Et textus *in d. l. Qui in utero* accipiendus est de filio legitimè concepto, vel saltem in concubinatu. Hos enim solos agnoscit jus civile; *per text. in l. Vulgò 13, D. eod. tit. De statu hom.* Nituntur etiam textu *in l. Et servorum 5, in fine & §. sufficit D. De ingen.* quibus locis ut quis liber nascatur, sufficit, vel aliquo tempore fuisse in libero utero. Nam respondetur, aliud esse in servitute, quæ per manumissionem matris facilius eluitur in filiis adhuc in utero existentibus, cùm servitus non delicto matris imputetur, sed calamitati, ut loquitur textus *in d. §. sufficit.* Nostro verò casu ex delicto parentum filius adulterinus judicatur.

In Cap. Per venerabilem 14.

SUMMARIA.

1. *S. Pontifex an & quatenus legitimare possit quoad hæreditariam successionem.*
2. *S. Pont. extra territorium Rom. Ecclesiæ in temporalibus jurisdictionem non exercet.*
3. *An quis pro parte possit legitimari, pro parte non legitimari?*
4. *S. Pontificis circa legitimationes potestas.*
5. *Princeps supremus supplet defectus natalium.*
6. *Princeps an laicum legitimare possit quoad bona patris sui Clerici?*
7. *An filios proprios legitimare possit?*
8. *Qualiter legitimatio hæc fiat.*
9. *Assensus cognatorum an necessarius?*
10. *An procedat quoad successionem Feudi?*
11. *Princeps absolutâ sua potestate ita legitimare potest.*
12. *Etiam per alium, ut Comitem Palatinum.*

HOc Cap. agitur de legitimatione liberorum, quæ fit auctoritate S. Pontificis, vel alterius Principis superiorem non recognoscentis. Quæ & in usu frequentissima est. Priusquam verò de ea exactius disseramus, non abs re erit textum nostrum percurrere, & singula breviter, quoad id fieri potest, perstringere.

Itaque facti species sic se habet. Quidam nobilis Dominus Montis Pessulani in Galliis, dimissâ uxore suâ legitimâ, aliam mulierem sibi adsciverat, ex qua cùm liberos suscepisset, postulavit à summo Pont. ut ejus auctoritate liberi legitimarentur, ne defuncto se repellerentur ab hæreditate sua: non enim patri succedunt liberi adulterini, *Auth. Ex complexu C. De incest. & inut. nupt.* Cui antequam respondeat S. Pont. adduxit quasdam rationes, quibus id posse fieri videbatur. Et primò quidem, quòd Apostolica Sedes ali- 1

quando cum naturalibus & adulterinis liberis dispensaverit, quoad actus spirituales, putà ad ordines Ecclesiasticos. Ergo multo magis dispensare posse videbatur quoad actus sæculares, qui minoris momenti sunt, ut est legitimatio ad hæreditariam successionem. Cui enim licet quod plus est, licet utique quod est minus, *cap Cui licet De R. I. lib. 6*, Deinde adfert argumentum à simili. Per Episcopalem dignitatem liberatur filius à patria potestate, *§ palam Nov. 81, Constitutio, quæ de dignitatib &c.* item servi à potestate dominica, si prudens sciensque eum Episcopus ordinaverit in presbyterum, *can. Si servus absente dist. 54*, Igitur cùm hæc juris auctoritate fiant, poterit eadem ratione fieri, ut is, qui propter defectum natalium à successione patria excluditur, auctoritate summi Pont. qui & juris auctor est, restituatur. Tertiò hanc rationem adducit, quòd is, qui in spiritualibus legitimatur, intelligatur etiam legitimatus quoad sæcularia; alioquin monstro simile esset, quempiam partim legitimum esse, partim illegitimum: quo fit, ut si ad ordines liberi legitimentur, censeantur quoque legitimati quoad successionem patris sui.

Sed priores duas rationes, quæ nobili favere videbantur, unâ quasi responsione diluit S. Pont. inquiens, illas quidem habere locum in patrimonio B. Petri, hoc est in territorio Rom. Ecclesiæ, in quo ipse auctoritatem S. Pontificis & simul su-
2 premi Principis potestatem exercet; † non autem extra ejusdem territorium, ubi nullam jurisdictionem in temporalibus usurpat S. Pontifex nisi certis casibus, *quos vide in Glos. & apud Dd. ad c. Licet 10, sup. De foro compet.* At verò hic nobilis erat extra territorium S. Pontificis. Non igitur ejus liberi à Pont. legitimari poterunt, propter defectum jurisdictionis in temporalibus, quæ regulariter ad Principis sæculares pertinet, *text. hic in § rationibus igitur, can. Cum ad verum, can. Duo sunt dist. 96, & can Novit 13, sup De judic.*

3 Ad tertiam rationem, quòd monstro simile sit, quempiam partim legitimari, partim non legitimari, nihil in specie respondet S. Pont sed prætexit, tamquam ad propositam causam nihil pertinens. Nec enim nobilis ille petierat liberos legitimari pro parte, sed simpliciter, in eum tantummodò finem, ut legitimati possent sibi mortuo succedere, nullâ factâ mentione spiritualium, ad quæ haud dubiè S. Pont. liberos voluisset legitimare, si ab eo petitum fuisset. Neque ob id monstrosi haberentur, quòd quoad spiritualia, essent legitimati, & non quoad temporalia, quia id dicitur diverso respectu, *ut in specie cap. 1, De filiis presbyt. in 6*, Nam & videmus sorores & fratres legitimos esse successores suorum parentum, non autem filias legitimas censeri quoad Ecclesiasticos ordines, quorum tantummodò capaces sunt mares: non tamen ideircò filiæ monstrosæ censentur, *arg l. Filiusfam 9. D. De his qui sui vel alieni jur sunt, & l. Nam quod 14, D. Ad S.C. Treb.* Unde etiam S. Pont. in textu nostro usus est verbo, *Videntur*; quasi non verè monstrum sit legitimatus ad sola spiritualia, non ad temporalia, sed si vulgi potiùs opinionem spectemus, quàm rei veritatem.

Subjungitur hoc textu nostro quarta ratio, non quidem ipsius Pontificis, sed quâ ad persuadendum utebatur nobilis, allato exemplo Regis Franciæ, qui & uxore sua dimissa aliam superinduxerat, & ex ea liberos sustulerat, qui legitimati fuerunt per S. Pontificem. Quare & ipse æquũ putabat, ut eodem modo liberi legitimarentur. At huic argumento ocurrit Pontifex, docens diversam causam fuisse Regis Franciæ. Hic enim, antequam secundam in uxorem duxisset, à priore judicialiter absolutus fuerat per Archiepiscopum Rhemensem: ipse verò nobilis propria auctoritate uxorem deseruerat. Præterea Rex Franciæ nullum superiorem in temporalibus agnoscit; potuit igitur hic sine læsione alterius juris se subiicere jurisdictioni S. Pontificis, *l Est receptum 14, D De jurisdict.* Nobilis verò alteri subjectus erat. His itaque cum aliis nonnullis (quæ brevitatis causa omittimus) adductus S. Pont. reiicit postulatum ipsius nobilis.

His ita præmissis rem latiùs dispiciamus. Et 4
quidem constat, ex hoc textu nostro, S. Pontificem habere jus legitimandi quoscumque illegitimos, non solùm quoad ordines Ecclesiasticos (quod extra omnem controversiam est) sed etiam quoad successionem hæreditariam, dummodò hoc casu in temporalibus ipsi subjecti sint. Cujus hæc ratio redditur, quòd in subjectis sibi temporaliter summi Principis auctoritate utatur, *text. hic in vers. id autem in patrimonio* † At dubium non 5
est, summum Principem posse supplere defectum natalium, *l. 3, D De natalib. restit. Nov. 89, Quib. med natur. effic sui*, utpote qui solo humano jure, non divino aut naturali introductus fuit, *d Novell 89, in princ.* & consequenter eum tollere vel supplere potest idem summus Princeps. Qui scilicet ut verus juris conditor neque sibi, neque successori-

bus

bus suis eam potest legem imponere, à qua utrique licitum non sit recedere, *l. Si in quis in pr. 22 D. De legat. 3, & cap. Innotuit 20. sup. De elect.* Jure igitur & S. Pont. defectum natalium per legitimationem supplere potest.

Dixi, dummodò in temporalibus ipsi subjecti sint; nam in non subditos temporaliter hanc legitimationem exercere non potest, sicut probat textus noster, *in § insuper cum Rex*; cùm legitimatio superiori suo reservata sit in signum subjectionis, ac proinde ab altero impetrari non potest, sicut rectè probat d. text. Unde idem rectè producitur ad quemvis alium Principem, superiorem non agnoscentem, ut neque is alium subditum legitimare possit, ob eamdem rationem. Panormit. *hic num. 26, latè* Covarr. *in IV. Decretal. p. 2, cap 8, § 8, num 43*, ubi tamen hallucinatur, dum putat, eam legitimationem ad ea tantummodò bona, quæ in ejusdem Principis territorio sunt, restringendam esse, non verò pertinere ad alia, quæ extra territorium suum existunt: cùm id minimè probet textus noster, & absurdum videatur, illa bona separari oportere à persona jam restituta natalibus per legitimationem, *arg. l. 1, D. De natalib. rest. & § divus Inst. De excusat. tutor.*

6 Sed quæritur hîc, An Princeps sæcularis legitimare possit latcum, etiam quoad bona patris sui Clerici? Quod quidam existimant, eò quòd legitimatio legitimum successorem eum faciat, qui alioquin legitimus successor non erat, *per hunc text. nost.* Verior tamen contraria opinio est in iis bonis, quæ prospectu Ecclesiæ ad patrem Clericum pervenerunt. Ea enim, cùm ad Ecclesiam, cui inserviit pater, redire debeant, *cap. Relatum 12, & c. penult. sup. De pecul. Cleric.* non debet in præjudicium Ecclesiæ hæc legitimatio extendi, *arg. l. Nec avus 4, C. De emancip.* In cæteris verò bonis, quæ aliunde patri Clerico obtigerunt, veluti ex hæreditate parentum, cognatorum, vel aliorum, sive ex donatione aliove contractu, nullo habitu respectu ad Ecclesiam, negari non potest, quin legitimatio hæc complectatur, cùm & Ecclesiæ non debeantur, sed proprio jure ad Clericum spectent, adeoque de iis pro arbitrio suo possit Clericus disponere, *cap. Quia nos 7, & d. cap. Relatum in fine sup. De testam. can. Episcopo, can. Sint manifestæ XXII. qu. 1, vide latiùs* Covarr. *d. §. 8, num. 48.*

7 Præterea ex hoc textu discimus, Principem, qui alteri non est subjectus in temporalibus, posse filios proprios legitimos efficere, sicut rectè notant hic Glossa, & Panorm. *in verb. tamquam Princeps cum subditis, &* Butr. *num. 46*, qui idem obtinere vult in Comite Palatino; ut & is possit legitimare filios suos illegitimos, ut infrà latiùs dicetur. Idque fit ob diversas qualitates, quæ in Principe & Comite Palatino concurrunt: exemplo filiifamilias Consulis, vel Præsidis, cui permissum est seipsum emancipare, vel in adoptionem dare, *l. Si Consul. 3, D. De adopt.* Quamvis rectius fecerit Princeps, ut monet hic Glos. si à tali actu abstineat, *argum. l. Nec quicquam 9, in pr. D. De offic. Proconf.* ne videatur in actu proprio auctoritatem suam interponere, *cap. fin. sup. De const. & c. Per nostras 16, sup. De jure patron.* quemadmodùm hic factum videmus à Rege Franciæ, qui ut legitimarentur filii sui, maluit id fieri per summum Pont. quàm auctoritate proprîâ.

Hic tamen meminisse oportet, quòd etsi Princeps legitimare possit quemcumque illegitimum sibi subditum, sive is naturalis sit, sive adulterinus, sive incestuosus, sive sacrilegus, hoc est, ex Moniali natus, spectando supremam ejus potestatem, quâ potest jus condere, vel ei derogare; non tamen solet ordinariè hoc beneficium præstare nisi naturalibus liberis, id est, ex concubinâ natis, *§ illud tamen & § fin. Nov. 8, Quib. mod. natur. effic. sui.* Ac proinde necesse est in legitimatione liberorum, ut exprimatur in libello, quòd liberi naturales sint, non ex alio concubitu nati: aliàs si ex incestu, adulterio, vel alio damnato concubitu nati sint, legitimatio tamquam obreptitia, nullius momenti erit, *d. § fin.* Ubi tamen hæ qualitates liberorum in libello expressæ sunt, potest quidem Princeps hos liberos legitimare, sed adjectâ hac clausulâ derogativâ, *Non obstante Novellâ Quibus natur. modis filii effic. sui*, sicut *ad d. § fin. rectè monet.* Accurs. Quod hanc rationem habet, quòd rescripta Principum contra jus commune impetrata non valeant, *l. fin. C. Si contra jus vel utilit. publ.* Ideoque necessaria est clausula derogatoria, videlicet, Non obstante tali lege, *argum. text. in l. Si quis 22, in pr. D. De legat. 3, de quo fusius apud* Covar. *in IV. Decretal. p. 2, cap 8, § 9, num. 7.*

Cæterùm in hac legitimatione liberorum non requiritur assensus cognatorum, eò quòd eorum non interfit, cùm pater possit de rebus suis pro arbitrio suo disponere, & alium quemcumque hæredem in bonis suis instituere, exclusis etiam collateralibus, *l. Fratris 21, juncta l. Fratres*

tres 27, C. De inoff. testam. In quo tamen animadvertendum est, ut, si mater filii naturalis superstes sit, cum qua licitè possit contrahi matrimonium, legitimatio locum non habeat, §. *sit igitur licentia d. Nov Quib modis natur. effic legit.* si quidem in patris potestate est legitimare filium naturalem per subsequens matrimonium, *c. Tanta sup. eod.* Unde & hoc casu necessaria est prædicta clausula derogatoria. Idem est, si alii extent filii legitimi, ut & hac specie clausula derogatoria addenda sit, cùm in defectum legitimorum liberorum hæc legitimatio introducta sit, *d. §. sit igitur licentia.*

10 Et cùm legitimatus rescripto Principis quoad omnia legitimatus censeatur, nisi aliud rescripto contineatur, quæritur tamen à Doctoribus, an id locum habeat, quoad successionem feudi? Et certè hac de re extat textus in libris Feudor, *in §. naturalis Si de feudo defuncti contentio sit,* ubi negatur, legitimatum posse succedere in feudum. Naturales filii (inquit textus) licet postea fiant legitimi, ad successionem feudi, nec soli, nec cùm aliis admittuntur. Quem textum, etiamsi is simpliciter loquatur de legitimatis, tamen communiter restringunt Dd. ad legitimatos per Principem, non verò per subsequens matrimonium; siquidem hi in feudum succedunt, licet feudum receptum sit pro se & filiis legitimè natis, sicut ex communi Dd. sententia tradit Jul. Clarus *in §. Feudum quæst. 28, num. 4, & 5.* Diversitatis rationem facit favor matrimonii, quo vitium præcedentis concubitus purgatur, adeò quòd fingatur retrò contractum matrimonium, id est, tempore conceptionis, uti *sup eod. ad cap. Tanta latiùs diximus.* Legitimatio verò per rescriptum Principis est quædam dispensatio cõtra jus commune, quo prohibentur naturales succedere in feudum, *d. §. naturales*, ac proinde legitimatio Principis restringenda est, *c. 1, De filiis presbyt. lib. 6, juncto cap Odia De R. I. eod lib. 6,* Panorm. *ad d. c. Tanta num. 7, cum seq.* Quare errat Franc. Sonsbeeius in *Comment ad usus Feuder p. 9, num. 72,* existimans *d. §. naturales* etiam ad legitimatos per matrimonium pertinere, eò quòd is paragraphus simpliciter loquatur de legitimatis. Sed diversitatis rationem jam diximus. Accedat, quòd iniquum esset, à Principe beneficium concedi in præjudicium alterius, videlicet domini feudi, cui fortè feudum aperiretur, aut agnatorum vasalli, qui aliàs successuri erant, *l. Nec avus 4, C. De emancipat. lib.* ubi præclarè inquiunt Impp. Diocletianus, & Maximianus, *Nec in cujusquam injuriam beneficia tribuere moris est nostri.* Et rescripta ita accipienda sunt, ne lædant alium, *l. Rescripta 7, C. De precib. Imp. offeren.*

Si tamen uti velit Princeps absolutâ suâ potestate, posset etiam cum incommodo alieno beneficium concedere, *per text in l. 2, § si quis à Principe D. Ne quid in loco publ.* quod tamen non facilè facere solet, *l. 2, in fine De D. natal. restit.* Si tamen fecerit, ei parendum est, cùm de ejus potestate disputare sit instar sacrilegii, *l. 2, C. De crim. sacrileg.* vel, ut rectiùs intelligit eamdem legem Salic. Improbare quod Imperator fecit ex certa sententia, est crimen sacrilegii. Et hanc sententiam comprobant quoque multi auctores à Schenck Barone citati *ad d. §. naturales,* quæ & communiter recepta est, teste Julio Claro *d. q. 28 num. 1,* Sed & hoc casu opus esset clausulâ derogatoriâ, videl. *Non obstante §. naturales,* ut suprà dictum est, vel hac clausulâ, *De plenitudine potestatis,* ut tradit Andr. Gail. *lib. 2, obser. 142.* 11

Atque hæc non solùm obtinent, ubi ipsemet Princeps per se legitimat, verùm etiam si per alium, puta Comitem Palatinum, propter juris regulam: Qui facit per alium, perinde est, ac si faciat per se ipsum, *cap Qui facit De R. I. in 6,* Hi verò Comites extra ordinem fiunt ab Imperatore ad legitimandum illegitimos vel etiam ad alios actus, videlicet ad conferendum gradum Doctoræ, ad conferenda insignia, vel similia. Quorum officium planè distinctum est à Comite Palatino, cujus in Cod. fit mentio, *sub tit. De officio Comitis sacri Palatii,* cujus officium est præesse omnibus rebus Palatii, & exactioni canonis emphyteutici. 11

Quod igitur ad nostros Comites attinet, cùm hi mandatâ ab Imperatore potestate utantur, primùm omnium eorum codicilli, sive diplomata, quibus potestas eorum continetur, inspicienda sunt. Quod enim ultrà agunt, nullius momenti est, *l. Diligenter 5, D. Mandati, & l fin D. De jurisd.* Hinc Alexander *cons. 63, num. 6, circa fin. lib. 1.* eleganter inquit, quòd in Comite Palatino habente potestatem à Principe inspici debeat potestas sibi data: & in dubio non intelligitur data potestas, nisi eo modo, quo Princeps esset legitimaturus ex ordinaria potestate, non supremaj nisi hanc supremam potestatem in eum quoque velit collatam, ut & alios illegitimos liberos

præ-

Præter naturales possit legitimare. Quocirca & rectè faciunt Comites Palatini, qui dum aliquem actum vigore Comitivæ suæ exercent, tenorem privilegii sui inserunt literis à se datis, quo testentur, se talem potestatem habere ab Imperatore: nam & mandatum in Principis scriptis probandum est, *l. unica C. De mand. Princip.*

IN TIT. XVIII. QVI MATRIMONIVM ACCVSARE POSSVNT, VEL CONTRA ILLVD TESTIFICARI.

SUMMARIA.

1. *Accusare matrimonium quid?*
2. *Accusare qui & ad quid possunt.*
3. *Idem an & accusator matrimonii & testis esse possit.*

HOc Tit. agitur de accusatoribus matrimonii, & testibus contra matrimonium tamquam illegitimè contractum † Accusare matrimonium nihil aliud est, quàm impugnare matrimonium, sive injustum arguere: quemadmodum & testamentum accusari dicitur, quod inofficiosè, id est, contra officium pietatis à patre vel filio factum est, *l Quirepudiantis 17, l Filius 12 D. De inoffic. testam & l In arenam 11, C. eod t.* Aliàs accusare frequentiùs significat, crimen intendere contra aliquem in judicio, *l. Qui cum 14, §. accussasse D De bonis libertor & l fin C De accusat.*

1

Ut autem summatim rem totam contraham, sciendum est, quòd aut agitur ad separationem tori, propter adulterium, & tunc solus admittitur ad accusandum conjux innocens. Innoc. Butr. Panorm & Præpos. *hic ad Rubr.* quia hujus tantummodò interest: cùm etiam possit remittere alteri adulterium, non separando se ab adultero vel adultera, *c 3, inf. De adult Latiùs* Navar. *in Manuali c. 22, num 22, in fine.* Aut agitur ad dissolutionem vinculi matrimonialis. Et hoc casu si accusetur matrimonium propter consanguinitatem, primò omnium admittuntur parentes, & his deficientibus, proximiores cognati, *can. 1, & 2, xxxv. q 6, c. 3, inf. eod.* ubi hæc ratio redditur, quoniam unusquisque, inquit, suam genealogiam cùm testibus & chartis, tùm etiam ex recitatione majorum scire laborat. Unde hi præ cæteris rectè admittuntur ad accusandum matrimonium. Post cognatos admittuntur extranei, & inter hos antiquiores & veraciores, quibus consanguinitas nota est, *d. can. 1, & 2, xxxv q. 6*, Idem judicium est de affinitate & publicæ honestatis justitia, cùm hæc impedimenta metiamur juxta gradus consanguinitatis, sicut à me latiùs declaratum est, *ad cap. Non debet sup. De consang & affinit. & ad c. 3, sup. De sponsal.* Si verò matrimonium accusetur propter impotentiam, ut quia alter ad conjugalem actum exercendum frigidus, maleficiatus, vel aliter impotens est, tunc nulli alii ad accusandum matrimonium admittuntur, quàm ipsi conjuges; siquidem horum tantùm interest dissolvi hujusmodi matrimoniũ. Etenim si non ut veri conjuges, saltem ut frater & soror sibi invicem commorari possunt, *c. Consultationi 4, cum c. seq. sup. De frigid. & malef.* Butr. & Panorm. *hic.* Idem juris est circa errorem status, ut quia liber nesciens cum serva contraxit, vel è contrà libera cum servo. Nam & hac specie nullus præter liberum vel liberam ad accusandum matrimonium admittitur, cum hunc errorem sibi invicem remittere possint, & de novo consentire in matrimonium, *cap 2, sup De conjug. servor & can Si quis ingenuus, in verb si voluerit, xxix q 2*, Diversum est in consanguineis & affinibus, in quibus novus consensus in matrimonium nihil operatur, quòd id absque peccato fieri non possit, *c. Quod super 5, & d. c. Non debet sup. De consang & affinit.*

2

Sed quæstionis est, an accusator matrimonii idem & testis esse possit? Respondet Præpos. *hic ad Rubr* quòd sic, *per text in can. Si die, can. Episcopis in Synodo, c. Parentela xxxv. q. 6.* Quod tamen Panorm *hic ad Rubr.* ita demum obtinere vult, si non tamquam accusator, sed denuntiator sit is, qui impedimentum detulit apud judicium. Tunc enim judice ex officio inquirente posset etiam is, qui denuntiavit, simul esse testis, *& probat text. in c. Cùm in tua 27, sup. De sponsal & in c. 4, sup. De testib.*

3

In Cap. primum.

SUMMARIA.

1. *Cognatio spiritualis quatenus impedimento sit matrimonio contrahendo.*
2. *Iud x an subditum extra territorium suum citare possit?*
3. *Iudex extra territorium potest exercere ea, quæ sunt voluntariæ jurisdictionis.*
4. *Lite non contestatâ an & quando testes recipi possint.*

FACti species hæc proponitur. Pater filiam suam cuidam civi Parisiensi in uxorem dedit. Hic post aliquot annos, quibus cum uxore vixerat, perpetrat homicidium, & idcircò solum vertit. Eo absente denuntiatur Episcopo, quòd inter illum & uxorem suam subsit spiritualis cognatio, ex eo, quòd pater puellæ eumdem maritum ex fonte baptismatis suscepisset. Quare Episcopus curavit inquiri per literas suas de absente marito, qui exspectatus per quinquennium non comparuit. Itaque hac de re consultus S. Pont. rescribit Episc. Parisiensi, ut si manifesta sit inter eos cognatio spiritualis, aut legitimi accusatores & testes appareant, post adhibitam omnem diligentiam testes recipere, & causam decidere possit.

1 Ubi in primis observa, inter liberos suscipientis & susceptum è baptismate contrahi spiritualem cognationem, quæ non solùm matrimonium contrahendum impedit, sed & contractum dirimit, *c.1, De cognat. spirit. in 6*, Cui tamen hodie derogatum est per Concil. Trid. *Sess.24, c.2, de reformat. matr.* quò restricta est hæc cognatio spiritualis ad principales personas, non ad eorum liberos, sicut *sup. ad tit De cognat. spirit. annotavimus.*

Occasione textus nostri movent hic Dd duplicem quæstionem: unam, An Judex subditum suum extra territorium existentem possit citare? Alteram, quâ ratione, lite non contestatâ, jusserit summus Pont. recipi testes, & causam decidi, *contra tit Vt lite non contest. non procedatur ad testium receptionem?*

2 Quod ad priorem quæstionem attinet, ea admodum controversa est apud Dd. nostros. Sunt enim, qui putant subditum existentem extra territorium judicis ab eodem citari posse ad tribunal suum, *per text. in l. Omnes 32, §. verum si apparitor & ibi* Bald. *C. De Episc. & Cler. & in l.2, C. De offic. Præf. urbi* Sunt qui contrarium existimant, *per text in c. Pastoralis De sent. & re jud. in Clement. in cap. 1, §. contrahentes De foro compet. in 6*, Et horum ratio est, quòd extra territorium jus dicenti non pareatur impunè, *l. fin. D. De jurisdict. & c.2, in fine De constit. lib 6*, At verò citare jurisdictionis est, cùm pertineat ad processum judicii, *§ fin. Instit. De pœna temerè litig.* adeò ut judicium sine citatione ipso jure nullum sit, *l.1, §. item cum ex edicto D. Quæ sent. sine appellat. rescind. c. Ecclesia 10, sup. De constit. & c.8, sup. De majorit. & obed.* Adde, cùm judex extra territorium suum per se citare non possit, ergò neque per alium. Per se ideò, quòd Judex exeundo territorium suum prò privato habeatur, hoc est, deponat personam judicis, *l.3, D. De offic. Præf.*

Verior tamen sententia posterior est, quòd scilicet citare non possit, sed requirere debeat judicem illius territorii, in quo subditus degit, ut ab eodem citetur, & remittatur ad judicium suum, *per text in d. c. Pastoralis* Cui cùm non possis respondere Cynus, pro confirmanda priori sententia, tandem hoc responsum adfert, Transeat cum aliis erroribus Canonistarum. Refert eum Bart. *ad l.1 §.1, D. De requir. reis.* Imò contrà aperto laborat errore ipse Cyn. quòd jurisdictionem judicis dilatet extra territorium suum, *contra d. l. fin. & d. c.2 De constit. lib.6*, Et quòd attinet *ad d. §. verum si apparitor*, is §. agit de Præfecto prætorio (sicut legis inscriptio indicat) qui in totam provinciam jurisdictionem exercet. Non mirum igitur, si omnes provinciales ad suum tribunal vocet. Textus autem *in d. l.2, C. De officio Præf. urbi* potiùs favet posteriori sententiæ. Nam ibi inhibetur Præfecto urbi, ne personas ex provincia ad se vocet, præter officiales & homines ejusdem urbis seditiosos. Unde constat, Præfectum urbi regulariter non habere jurisdictionem in subditos in provincia existentes. Concludo igitur, judicem extra territorium suum neminem ad se vocare posse, sed id curare debere per judicem ejus territorii, in quo reus degit. Quamvis & id fieri possit per solum apparitorem sive nuntium; non quidem in eum finem, ut jurisdictionem in personam exerceat, sed ad eum effectum, ut si reus

ad

ad hanc denuntiationem non compareat, mitti possit actor in possessionem bonorum ejus sitorum in territorio denuntiantis judicis, vel etiam possessionem decernere in alia bona per judicem loci exequendam, *cap.1, §. contrahentes De foro compet. lib.6*, Vide hac de re latiùs And. Gail. *lib.1, Obs.56*, Ubi tamen in fine errare videtur idem Gail, dum ait judicem domicilii citare posse subditum extra territorium ubique existentem, eò quòd subditus quocumque loco se vertat, semper subditus sit, ac proinde in loco domicilii citari possit: quia id adversatur *d.l.fin D. De jurisdict. & d.c 2, De constit. lib.6*, Nec valet ratio And. Gail: tametsi enim subditus maneat extra territorium, non tamen quoad jurisdictionem, quam judex extra territorium suum non potest exercere, adeoque ea territorii terminis circumscripta est, *sicut constat ex d.l fin. & d.c.2, & l.3, D. De off. Præf urbi.*

3 Cæterùm non dubium est, judicem extra territorium suum existentem posse exercere ea, quæ voluntariæ sunt jurisdictionis, hoc est, quæ à voluntate sive petitione ejus pendent, veluti sunt manumittere, adoptare, *l.2, D De off. Proconf.* judicem dare, *l fin. D. De off. Præf. urbi* Sic Episcopus extra diœcesin suam beneficia potest conferre, *c. Post electionem 7, sup De concess. prab. Gl. &* Panorm. *ad c. Venit sup. De off. legat.* Item judex extra territorium suum existens potest jubere citari subditum suum, qui in territorio est, quia & hæc res voluntariæ jurisdictionis est. Secus est in iis, quæ sunt jurisdictionis contentiosæ, hoc est, in quibus contentione sive conflictu partium proceditur. Hæc enim cùm cognitionem causæ desiderent, non possunt aliter exerceri, quàm sedente judice pro tribunali, adeoque in loco majorum suorum, *l. penult. D. De just. & jure junctâ l. A procedente 4, C. De dilationib.* Ut hinc obiter observandum sit, jurisdictionem duplicem esse, voluntariam & contentiosam.

Jam ad textum nostrum redeundo, etiamsi in eo dicatur, maritum per literas Episcopi fuisse quæsitum, non ideò infertur eum citatum fuisse extra diœcesin suam: potuit enim latuisse extra civitatem in alia parte ejusdem diœcesis, vel eum vagabundum fuisse, & sic per edictum publicum Episcopi in valvis Ecclesiæ Cathedralis fuisse citatum, ut in specie *c fin. sup De dolo & contum.* ita quòd citatio legitimè præcesserit cognitionem causæ matrimonialis, de qua edictali citatione vide quæ habet And. Gail. *lib. 1, Observ. 56.*

Quod alteram quæstionem attinet, cur scilicet 4
summus Pont jusserit hoc textu nostro recipi testes, & causam decidi, lite nondum contestatâ? Respondetur, quòd quidem regulariter non procedatur ad testium receptionem & decisionem causæ, antequam lis contestata sit: si tamen reus legitimè citatus non comparet, mittitur actor in possessionem bonorum ipsius rei contumacis, juxta decisionem *cap. Quoniam frequenter 5, sup Vt lite non contest.* Quæ missio in causa matrimoniali, cùm fieri non possit in personam absentis, permittunt jura, ut in matrimonialibus causis, lite etiam non contestatâ, procedatur ad decisionem causæ. Alii aliam rationem hujus rei reddunt. Sed frustrà huic rei immoramur, propter text. *in c. Dispendiosam De jud. in Clement.* quo apertè permittitur judicibus, ut absque litis contestatione, aliave solemnitate simpliciter & de plano, sine strepitu & figura judicii solemnis procedere possint in causis matrimonialibus, beneficialibus, decimalibus, & usuratiis; nisi quòd sententia definitiva debeat ferri in scriptis; quod ultimum dumtaxat pertinet ad solemnitatem judicii, *l. 2, C. De sentent ex brevic recitan vide latiùs d c. Dispendiosam, & cap. Sapè De verb. signif. in Clement.*

In Cap. A nobis 2.

HUnc textum quidam de accusatione matrimonii accipiunt, quidam de testificatione, quòd scilicet nulla horum fieri possit per scripturū, absente accusatore vel testibus. Utraque interpretatio vera est, quam comprobat textus *in can fin. XI. qu 7, in can. Testis 121 qu 9, in cap Tua nos 8, sup. De cohabit Cleric. in l.3, §. divus D. De testib.*

In Cap. Videtur nobis 5.

SEntentia hujus Cap. est, quòd in causa matrimonii conjungendi vel dissolvendi propter consanguinitatem & affinitatem admittantur priùs omnium parentes, & his deficientibus proximiores cognati. Quòd à me latiùs explicatum est *sup. eod. ad Rubr.* Sed quærunt Dd. an idem juris sit quoad probationem contractus matrimonialis? Negat hic Bernard. *in V. sciunt.* At Butr. & Host. quos citat & sequitur Panorm. hic, contrà existimant *per hunc text.* dum inquit, parentes solere interesse hujusmodi contractui, quòd eorum intersit. Quare Panormit. post Hostiensem hac distinctione utitur, quòd aut sponsus superior est sponsâ divitiis aut nobilitate; hoc casu suspectum dicit matrimonium esse per testimonium parentum in causa filiæ suæ.

In Cap. Insuper adjecisti 4.

SUMMARIA.

1. *Matrimonium metu contractum est nullum.*
2. *Metus iste qualiter purgetur.*
3. *Minor 25. annis an adversus matrimonium restituì possit?*
4. *Mulier minor decepta circa dotem rectè restituitur.*

1 CErti juris est, matrimonium per metum contractum esse ipso jure nullum, *per text. in c. Cùm locum 14, & ibi latiùs dixi sup. De*
2 *sponsal.* † qui tamen metus duobus modis purgatur, aut per voluntariam cohabitationem, aut per voluntarium concubitum, *c. Ad id 21, sup. De sponsal.* Quò fit, ut adversus hoc matrimonium, in quo quis metum antea passus est vel passa, jam purgato metu amplius audiri non debeat, *per h. text. nostr. in c. 4.*

3 Cæterum quæstionis est, An minor viginti quinque annis adversus matrimonium restitui possit, fortè quia se læsum dicit, eò quòd pauperem pro divite duxerit, vilem pro nobili, corruptam pro virgine? Movet dubiũ textus *in l. 2, C. Si tutor vel curator interveniat*, quo restituitur minor, ex quacumque causa læsus sit. Idem testatur *tit. D. De minorib. 25, annis.* Sed vetius est, minorem restitui non posse, quia se læsum probare non potest, quod necessum est, ut quis in integrum restituatur, *l. Nam postea 9, D. De jurejur.* At in matrimonio nulla læsio dari potest, cùm matrimonium res spiritualis sit, ac proinde nullam æstimationem recipiat, *c. fin. in fine sup. De rer. permutat.* Deinde matrimonium naturâ suâ indissolubile est, *can. Puto, can. Si uxorem, c. Præcepit & can. Præceptum XXXII. q. 5, c. Gaudemus 8, inf. De divort. Conc. Trid. Sess. 24, in doctrina de Sacram. matrim.* Tertiò in rebus spiritualibus habetur minor pro majore, *c. fin. De judic. lib. 6*, Quare minor XXV annis restitutionem in integrum adversus matrimonium à se contractum petere non potest.

4 Illud jure permissum est in muliere minore, ut si hæc decepta fuerit circa dotem, ut quia dotis nomine plus numeravit, vel constituit, quàm maritus merebatur, rectè eam vel ejus hæredem restitutionem in integrum petere posse, *per text. in l. unica C. Si adver. dotem restit. postul.* Quamvis enim dos sine matrimonio consistere non possit, non est tamen res spiritualis, sed temporalis: ideoque in eâ admittitur in integrum restitutio.

In Cap. Significante 5.

HOc Cap. rejicitur accusatio matris, quæ ut extorqueret pecunias à marito filiæ suæ, accusationem matrimonii ipsi intentabat, allegando scilicet impedimentum consanguinitatis, affinitatis, sive aliud inter ipsos conjuges. Rejicitur, inquam, propter turpem quæstum, *l. Qui accusare 8, circa fin. D. De accusat.* & ut malitiæ matris occurratur, *per hunc text. & in l. In fundum 39, D. De rei vind.* utrobique dicitur malitiis non esse indulgendum. Idem observandum est in omni accusatore, ob easdem rationes.

In Cap.

In Cap. ultimum.

SUMMARIA.

1. *Denuntiatione publicâ factâ an quis admitti possit ad accusandum matrimonium.*
2. *Diversitas inter accusatorem & testem.*

1 REjicitur hoc Cap. & is accusator, qui post præfixum tempus denuntiationi (quæ solet in Ecclesia proponi ad objiciendum impedimentum canonicum, si fortè aliquod subsit inter contrahentes) impedire vult matrimonium postea contractum; eò quòd suspectus habeatur, rem in tempus contracti matrimonii sponte & malitiosè differendo. Unde is, qui ignoravit publicam denuntiationem factam esse, putà quia fuit extra diœcesin, vel infirmitate correptus, ita ut exilium mentis pateretur; vel in puerili ætate constitutus, ita quòd judicio caruerit, aut aliâ legitima causa præditus fuerit tempore denuntiationis, terminus denuntiationi præstitutus nihil nocet, cum adhuc impedimentum possit objicere.

Idem est in eo, qui etsi in diœcesi fuerit, tamen denuntiationis tempore impedimentum ignoravit, sed postea prius didicit: nam & hic admittitur ad accusandum sive denuntiandum impedimentum, dummodò juramento suo ignorantiam suam confirmare possit. Usque adeò, licet didicerit impedimentum ab iis, qui tempore denuntiationis tacuerunt; cùm huic nulla culpa imputari possit, quòd tamdiu tacuerit, *per hunc text in fine.*

2 Ubi notanda est differentia accusatoris & testis, quòd scilicet accusator admittitur ad accusandum matrimonium, etiam si ejus auctor, à quo habet, admitti non possit. Secus in teste; hic enim repellitur à testimonio, sicut ejus auctor, *c. Licet 47 sup. De testibus.* Diversitatis ratio hæc est, quòd accusator intentionem suam fundet non in nuda accusatione, sed in testibus sive aliis probationibus, ac proinde culpa auctoris sui sibi nocere non debet, qui culpa vacat. Testis verò fidem testimonii sui totam collocat & petit ex persona auctoris sui. Quare si hic repellitur, similiter & ille. *Ita* Panorm. *num.* 10. Observa hoc Cap. bannorum appellatione venire denuntiationes, quæ in templo fieri solent, ut jam dixi.

IN TIT. XIX. DE DIVORTIIS.

SUMMARIA.

1. *Divortium unde dictum.*
2. *Divortia qualiter olim fierent.*
3. *Hodie divortium admittitur tantùm in duobus casibus.*
4. *Ex causa adulterii vel sævitiæ fit tantùm separatio quoad torum.*
5. *Divortium in quo differat à repudio.*
6. *Divortii cognitio ad quem spectet.*

1 CAjus Jurisconf. divortium vel à diversitate mentium dictum putat, vel quia in diversas partes eunt, qui distrahunt matrimonium, *l. 2. D. De divort.* † Etenim olim apud Ethnicos solo utriusque consensu vel etiam alterius tantùm voluntate, civibus tamen Romanis septem adhibitis, divortium celebrabatur, hac verborum formula adhibita: *Tuas res tibi habeto*, vel, *Tuas res tibi agito.* Idque fiebat vel inter præsentes, vel absentes, videlicet per libellum repudii, *l. 2. l. Nullum 9. & passim D. h. t.* donec Theodosius & Valentinianus Impp. Christiani ad certas causas divortium constrinxerunt, quæ recensentur in *l. Consensu 8. C. De repud.* quarum tamen plerasq; Justinianus sustulit, ut videre est in *Nov. 117 ut liceat matri & aviæ, &c. § quia verò plurimas.* Quas non attinet hic adferre; † cùm in causis divortii sequamur hodie jus Canonicum, quo nullum divortium admittitur, *c. 1. c. Ex parte 9 sup. De sponsal.* nisi duobus casibus: uno, propter ingressum Religionis, quod etiam fit altero conjugum invito, *c. 2. & c. Ex publico 7. sup. De convers. conjug.* Altero per conversionem alterius conjugum ad Christianam fidem, *can. Si infidelis cum can. seq. XXVIII. quæst. 1. can. 2. eod. quæst. 2. c. Quanto & c. Gaudemus h. tit.* sicut latius ibidem dicetur.

Loquitur verò de divortio quoad ipsum vinculum conjugale, quando illud planè inter conjuges viventes dissolvitur: quod non fit, nisi in

4 prædictis duobus casibus. * Cæterùm ubi ob causam adulterii, vel ob sævitiam alterius conjugum, vel propter aliam causam à sacris Canonibus probatam matrimonium separaretur, licet divortium quoque dicatur, non tamen vinculum matrimonii dissolvitur, sed tantummodò inducitur tori vel cohabitationis separatio, *can* 1. xxxii *qu* 7. sicut & in progressu latiùs à nobis explicabitur. Item ut excludamus à divortio, de quo hîc agitur, separationem illam viri & mulieris, inter quos constare non potest matrimonium, veluti inter consanguineos, affines, usque ad quartum gradum inclusivè, & inter frigidos & maleficiatos, aliosque, quibus interdictum est à jure matrimonium. Nam tametsi etiam hîc dicatur separari per sententiam divortii, *c.* 1 *sup. De consang. & affin. c pen sup. De cognat spirit & c. pen sup. De frigid & malef.* non tamen propriè divortium est, cùm inter eos nullum contractum fuerit matrimonii vinculum: sed prout inter eos matrimonium de facto contractum est, ita similiter divortium inter eos de facto celebratur.

5 Differt autem divortium à repudio, quòd divortium fiat respectu matrimonii; repudium respectu matrimonii & spōsalium. Repudiari enim uxor vel sponsa rectè dicuntur? non autem sponsa divertere, *l Inter divortium* 191 *& l Inter stuprum* 101. §. 1. *D. De V. S.* Ex quibus observandum est, jure Canonico latiùs patere nomen divortii, quàm de jure Civili, quo tantummodò capitur pro dissolutione matrimonii. Sed tametsi per mortem dirimatur quoque matrimonii vinculum, non tamen ob id divortium dici potest, quia nonnisi inter viventes conjuges divortium constituitur.

6 Illud hîc adjicere placet, quòd causa qualiscumque divortii non coram Judice sæculari, sed Ecclesiastico tractari & cognosci debeat, etiamsi ageretur quoad separationem propter adulterium, sicut ex communi sententia tradit Covarr. *in IV. Decretal p. 2. c. 7. §. 6 num* 14. Cùm enim hæc res ad matrimonium pertineat, de ea alius cognoscere non potest, quàm Judex Ecclesiasticus, *c.* 2. *sup De judic.* ubi interdicitur laico tractare causas Ecclesiasticas, quæ vel ipsum matrimonii vinculum vel cohabitationem matrimonialem respiciunt. Et Concilium Tridentinum *Sess.* 24. *can ult. de Sacram matrim.* anathema dicit iis, qui asserunt causas matrimoniales non spectare ad Judices Ecclesiasticos. De adulterio quidem cognoscit Judex sæcularis, quatenus agitur ad pœnam publicè infligendam, videlicet gladii, ex Constantini constitutione, *in l. Quamvis* 30. *C. Ad L. Iul. De adult.* si vir adulter sit; si uxor, ut ea in Monasterium detrudatur, *Auth. Sed hodie C eod.* Sed quoad divortium propter adulterium aut aliam ob causam agitur tantùm coram Judice Ecclesiastico: cum hac specie agatur de jure ipsius matrimonii inter maritum & uxorem, quod magis privati judicii est, & publicam vindictam non respicit, *c. Tua* 5. *sup. De procurat.* Nam & exemplo Christi docemur, qui causam divortii sive repudii non remisit ad Judicem sæcularem, sed ipse judicavit, *Matth* 5. & 19 Præterea D. Paulus 1. *Cor.* 7. causam conjugii inter fidelem & infidelem similiter ipse decidit, neque ad sæcularem Judicem eam rejecit. Ita quòd improbetur meritò eorum sententia, qui autumant causam divortii, saltem quoad separationem matrimonii, propter adulterium vel fornicationem, pertinere etiam ad sæcularem Judicem.

In Cap. primum.

SUMMARIA.

1. *Maritus ob insidias vitæ suæ intentatas dimittere uxorem potest, & è diverso.*
2. *Qui si uxorem occiderit, an aliam ducere possit: & quid si tantùm conspiraverint in mortem?*
3. *Impedimenta matrimonii duplicia.*

1 HOc Cap. huc translatum est ex Concilio Vermeciano (al Vuormaciano) tempore Pipini Regis Francorum celebrato: cujus hæc sententia est, Si uxor cum aliis conspiraverit in mortem mariti sui, & hic maritus defendendo se ex iis quempiam occiderit, quòd possit maritus post mortem uxoris suæ aliam ducere, uxor verò minimè possit alteri nubere post mortem mariti sui. Extat & hic text. in Decreto Gratiani *in can. Si qua mulier* xxxi. *qu.* 1. nisi quòd unus ex altero supplendus videatur. Nam in *d can Si qua mulier*, absunt verba, *post mortem uxoris*, ut tum demùm possit maritus aliam in uxorem ducere. In nostro verò textu illud desideratur, quòd possit maritus ob ejusmodi conspirationem in se factam, uxorem suam dimittere.

Itaque

Itaque maritus non solùm post mortem uxoris suæ potest aliam ducere, sed & illam dimittere propter insidias vitæ suæ intentatas. Idem est ex parte mariti, ut si is vitæ uxoris insidietur, similiter dimitti possit ab uxore, nisi uxori sufficiens securitas præstetur per maritum, *per text. in c. Literas 3. in fine & in c. Ex transmisso 8 sup. De restit. spoliat.* In marito quoque constitutum est, ut si is uxorem suam occiderit, aliam uxorem ducere non possit, *can. Interfectores & can. Quicunque & ibi Gloss. XXXII quæst. 2.*

2 Sed an in specie casus nostri idem obtineat, ubi maritus uxorem non occidit, sed tantummodò cum aliis conspiravit in necem uxoris, & aliquis ex iis occisus est, addubitari posset; eo quòd in pœnis benignior interpretatio in dubio semper adhibenda sit, *c. In pœnis De R. I. in 6. & l. Interpretatione 42. D. De pœnis* Sed idem juris esse puto ex parte mariti, quod ex parte uxoris, propter eamdem rationem, *arg. can. Nihil iniquius & can. Indignantur XXXII. quæst. 6.*

Nihilominus volunt Dd. nostri, quòd licet uxor hoc textu nostro post mortem mariti aliud matrimonium contrahere non possit, subsistere tamen matrimonium, si ab ea contractum fuerit, *Glos. & Hostien. per text. in d. can. Interfectores, & can. In adolescentia XXXIII. qu. 2.* Idem probare videtur Panorm. & Præposhic, & Mart. Navarr. *in Manuali c. 22. nu. 74.* Quo loco tradit, quòd licet propter homicidium uxoris vel mariti superstes conjux prohibeatur matrimonium contrahere, tamen si contractum fuerit matrimoniũ, nõ dirimi.

Constat enim ex supradictis variis locis, inter 3
impedimenta matrimonii quædam esse, quæ non tantùm impediunt matrimonium contrahendum, verum etiam contractum dirimunt, ut sunt consanguinitas & affinitas, publicæ honestatis justitia, frigiditas, maleficium, & his similia, de quibus suo loco superioribus titulis latiùs disseruimus. Quædam verò quæ tantùm matrimonium impediunt contrahendum, sed contractum non dirimunt, ut in casu text. nostri. Item incestus, *c. 1. c. 2. & c. Transmissa sup. De eo qui cogn. consang. uxor. suæ.* raptus sponsæ alterius, *can. Statutum XXVII. qu. 2.* susceptio proprii filii ex baptismo eâ mente facta, ne uxor ab eo debitum conjugale possit exigere propter jam contractam spiritualem cognationem, *can. De eo XXX quæst. 1.* solemnis pœnitentia, *can. De his & c. Antiqua XXXIII. qu. 2.* matrimonium cum Moniali de facto contractum, *can. Stergo XXXII qu. 1.* de quibus latiùs apud Navarr. *d. loco.* Hi itaque prohibentur quidem matrimonium contrahere, sed tamen contractum ab iis matrimonium non dissolvitur, ita permittentibus sacris Canonibus. Sed redeundo ad textum nostrum, unus tantùm casus est, quo propter homicidium non tantùm matrimonium impeditur, sed & contractum dirimitur, puta si quis cum alterius uxore in mortem mariti conspiraverit, ut eamdem postea in uxorem ducat, *c. Laudabilem sup. De convers. infidel. & latiùs diximus sup. De eo, qui duxit in matrim. quam polluit per adult.*

In Cap. Quæsivit 2.

SUMMARIA.

1. *Iusta causa divertendi non est delictum alterius conjugis.*
2. *Excepto infidelitatis maleficio, & ubi alter alteri peccandi occasionem præbet.*
3. *Est & justa causa mariti in uxorem nimia sævitia.*
4. *Item furor superveniens.*
5. *Adulterium sive fornicatio alterius conjugum.*
6. *Non obstante pœnitentiâ uxoris adulteræ.*
7. *Vxor adultera quibus casibus dimitti possit.*
8. *Est & causa divertendi justa hæresis.*
9. *Hu casibus fit tantùm separatio quo ad torum, nec excipitur fornicatio.*

DOcetur hoc Cap. 2. conjuges non posse à 1
se invicem separari propter furtum, aut aliud delictum sive crimen, nisi alter alterum ad infidelitatem sive hæresin pertraheret. Illius ratio pendet ex sententia Christi: *Quod Deus conjunxit homo non separet, Matth. 19* tum ex eo, quod inquit Divus Paulus: *Mulier corporis sui potestatem non habet, sed vir: similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed uxor. 1. ad Corinth. 7.* Unde rectè sequitur, matrimonii usum non posse Judicem interdicere inter conjuges, neque alterum alteri conjugi subtrahere. * Exceptionis verò ra- 2
tio ex illa sententia Christi colligitur: *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & uxorem, &c. non potest meus esse discipulus,*

Luca

Lucæ 14. & quòd ait Christus, *Matth.* 18. *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum. Per oculum*, intelligens, ut exponit ibidem Divus Augustinus, eos, qui nobis conjuncti sunt, & chari, instar oculorum, ut sunt parentes, filii, uxor, ubi scilicet ex horum consuetudine periculum peccandi imminet. Quare non tantum in exceptione textus nostri separatio matrimonii licita est, verùm etiam ubicumque unus conjugum alteri peccandi occasionem intentat, *& est text in can. Idololatria* XXVIII. *quæst.* 1. Navarr. *in Manuali cap.* 22. *num.* 22. Interim perseverat vinculum conjugii *per hunc textum nostrum*, cùm matrimonii semel legitimè contracti perpetuus & indissolubilis nexus sit, *can. Horrendus cum can seqq.* XXXII. *quæst.* 5. *Concil. Tridentin. Sess.* 24. *in doctrina de Sacram. matrim.* duobus tantummodò casibus exceptis. Unus est, si alter conjugum, nondum consummato matrimonio, Religionem ingrediatur & profiteatur; quod ipsi permissum est per sacros Canones, etiam invito altero, *c.* 2 *& c Ex publico* 7 *sup. De converf. conjug.* Alter, si infidelium unus ad fidem Christianam convertatur, *c. Gaudemus* 8 *inf. eod. ubi latiùs dicetur.*

Itaque justa causa est divertendi ab uxore, vel è contrà à viro, si alter alteri delinquendi causam præbeat. † Altera est nimia sævitia mariti in uxorem suam, ob quam rectè petit uxor se separari à marito suo, nisi hic sufficientem cautionem præstet, de non offendenda uxore, *text. est in c. Literas* 13. *in fine & cap. Ex transmissa* 8. *sup. De restitut spoliat.* Sufficiens cautio dicitur, quæ fit pignoribus vel fidejussore, *l. Si mandato Titii* 39. *§. fin. D. Mandati*; quamvis & juratoria cautio sufficiens dici possit, si hanc magis maritus timeat, ut rectè Glos. & Innoc. tradunt *ad d. cap. Ex transmissa*, quod Judicis æstimationi relinquitur. Covarr. *in IV. Decretal. cap.* 7. *§.* 5. *num.* 1. *usque ad num.* 6. Idque adeò obtinet, etiamsi uxor culpâ suâ in mariti odium incidisset. Panorm *ad d. c. Literas num.* 23. *per text. in can. De benedicto cum Glos.* XXXII. *quæst.* 1. Nec enim licet marito, quemadmodum nec aliis vindicare injuriam sibi illatam, sed ea ad auctoritatem Judicis referenda est, *l. Nullus Cod. De Iudæis, & l. Non singulis D. De R. I.* Quòd si verò tanta mariti sævitia sit, quòd nulla cautio videatur sufficere, non solùm non compellenda est uxor, si à marito discesserit, ut ad eumdem redeat, sed etiam à marito removenda est, *per text. in d. c. Literas in fine ubi & singulariter notat* Panorm. *num.* 7. *& facit text. optimus in l. Si usufructus* 16. *aliàs l. Æquissimum, §. sed si inter duos D. De usufr.* Quo etiam fit, ut si alter conjugum alterius vitæ insidietur, rectè domo ejici, vel deseri possit ab altero, eo scilicet casu, quo idoneè ipsi non cavetur: & petenti restitutionem obstabit exceptio sævitiei, ex sententia Butrii, Panorm. Præpos. post Hostiens. *ad c.* 1. *sup. eod.*

Tertia causa est superveniens furor, ex quo vitæ periculum alteri imminet. Covarr *d. §.* 5 *num.* 6 ubi ex Alexandro restatur, id communiter receptum esse à Dd & ratio pendet ex jam dictis.

Quarta causa est adulterium sive fornicatio alterius conjugum, *c. Significasti* 4. *c. Ex literis* 5. *c. Gaudemus* 8. *hoc tit.* Quam & justam causam esse dimittendi conjugem, probat locus apud Match. *cap.* 19. ubi ita Christus: *Quicumque dimiserit uxorem suam nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur.* Et si vero Christus hic solius uxoris meminerit, ut vir propter adulterium uxoris eam possit dimittere, idem tamen servandum quoque est in viro adultero, ut & hic deseri possit ab uxore; cum hac in re pares sint maritus & uxor, *can. Præcepit & can. Apud nos* XXXII. *qu.* 5. Meminit verò Christus tantummodò viri, quòd is ordinariè soleat uxorem suam dimittere propter adulterium, rarò autem uxor virum suum, sicut constat *ex can fin. d. qu.* 5. Atque hæc separatio matrimonii propter adulterium sive fornicationem adeò obtinet, etiamsi uxor propter paupertatem libidini alterius se exposuerit, *d. c. Ex literis* 5 *inf. eod.* aut etiam injustè dimissa à marito hac occasione adulterium admiserit, *c. Significasti* 4 *inf. eod.* nam potiùs quælibet mala sustinenda sunt, quàm peccato assentiendum, *can. Itane* XXXIV *qu.* 5 *can. Lotharius* XXXI *qu.* 2 *can. Ne quis arbitretur* XXII *qu.* 2. Eleganter Ulpianus: Non est ignoscendum ei, qui obtentu paupertatis turpissimam vitam egit, *text. est in l. Palam* 43. *circ. princ. vers. non est ignoscendum D. De ritu nupt.*

Sed statuamus uxorem adulterii pœnituisse, anne ignoscere ipsi teneatur maritus? Quod certè videtur, propter *text in c* 3. *inf. De adult. in can. Quod autem, cum trib seqq* XXXII. *qu* 1. quibus locis adulterii crimen pœnitentiâ aboletur, ita quòd uxor non ampliùs adultera nominanda sit. Verùm contrà rectiùs censet Glos. *ad d. c.* 3. quam ibidem sequitur Butrius & Panorm. quòd scilicet, non obstante pœnitentiâ uxoris adulteræ, possit maritus eam dimittere, *per text in can. Admonere, vers. nam si verum* XXXIII. *quæst* 2. *c. Gaudemus* 19. *sup. De converf. conjug.* Ratio est, quòd pœnitentiâ nemo nocens esse desinat in foro exteriore, *d. l. Pa-*

d.l. Palam, vers. neque enim aboletur, l. Qui ea mente 67, *D. De furt. l. Quis sit fugitivus* 17, *in pr. D. De edil. edicto & l penult. D. Vi bonor. rapt.* Nec marito jus dimittendi uxorem ex causa adulterii sibi acqvisitum invito auferri debet, *l. fin. in fine D. De pact. & l. Id quod nostrum D. De R. I.* Non movet textus *ind. c.* 3, quia, ut rectè interpretatur ibidem Glossa, Panorm. Zabarella & Anton. verbum *debet*, in eodem cap. positum non ad necessitatem, sed ad honestatem trahendum est, ita quòd honestum sit, uxorem adulteram pœnitentem à marito recipi, non autem necessarium. Similis est interpretatio ejusdem verbi, debet, *in cap.* 1, *sup. De desponsat. impub.* Quo sensu quoque videntur accipiendi textus *ind. can.* 4, *in can. Quod autem, cum trib. seqq.* XXXII. *quæst.* 1.

Recensentur à jure nonnulli casus, quibus uxorem adulteram dimittere non licet. Primus est, si & ipse maritus adulterium sive fornicationem admiserit, *c. Significasti inf. eod. c. penult. & ult. inf. De adult. &* XXXII. *quæst.* 5, *per tot.* Nam paria delicta mutuâ compensatione tolluntur, *d. c. penult. & ult. l. Viro* 40, *D. Soluto matrim. & l. Si ambo* 40, *D. De compensat.* Secundus est, si maritus auctor fuerit uxori adulterii committendi, aut adulterium ipsius approbaverit, *c. Discretionem* 6, *sup. De eo qui cogn. consang. uxor.* Cur enim, inquit Scævola J. C. improbat maritus mores, quos ipse antè corrupit, aut postea probavit? *in l. Cùm mulier* 49, *D. Soluto matrim.* Quâ ratione & si sciens uxorem adulteram esse, eam cognovit, non poterit dimittere, cùm eo ipso vel approbasse ejus adulterium, vel saltem ei ignovisse videatur, *Glos. ab omnibus recepta ad cap. fin. inf. De adult.* Covarr. *in* 4, *Decret. p.* 2, *c.* 7, *§.* 6, *num.* 11, idque instar actionum injuriarum, quæ dissimulatione tolluntur, *§. fin. Inst. De injuriis.* Tertius casus est, si uxor credens absentem maritum suum mortuum alteri nupserit, quia reversus maritus eam recipere tenetur, *can. Cum per bellicam* XXXIV. *quæst.* 1, Nec enim reversus maritus objicere potest uxori adulterium, quæ bonâ fide nupsit, cùm adulterium non bonâ fide, sed dolo admittatur, *l. penult. D. Ad L. Iul. de adult.* uti & quælibet alia causa, etiam injusta, excusat à dolo, *l. Igitur* 12, *vers. & generaliter D. De liberali causa.* Quartus casus est, si uxor errore decepta credat se à marito suo cognosci, cùm reverà alius sit, *can. Inlectum* XXXIV. *quæst.* 1, Hujus ratio jam dicta est. Quintus est, si uxor ab alto vi opprimatur, si quidem hoc casu uxor extra omnem culpam est, ne dicam, dolum, & consequenter adultera non est. Non potest fieri, inquit textus *in can. De pudicitia* XXXII. *qu.* 5,) ut nisi quis mœchetur priùs in corde, mœchari possit in corpore. Similis textus est *in can. Non potest, cum duob. seqq. eod. quæst.* 5, Atque hæc de quarta causa separandi matrimonium propter adulterium. Sed & reliquas persequamur.

Quinta causa est separandi matrimonium, hæresis, hoc est, si alter conjugum in hæresin labatur, *cap. De illa* 6. *cum cap. seq. inf. eod.* Nam hæresis spiritualis quædam fornicatio dicitur, quæ tamen per subsequentem pœnitentiam aboletur, *cap. Quinto* 7, *in fine inf. eod.* Aliter quàm in fornicatione carnali, quæ per pœnitentiam non tollitur, ut antè dictum est; quia hæc directò pugnat cum fide cònjugali, quæ est una ex bonis matrimonii, ut vocant, substantialibus, *can. Omne* XXVII. *q.* 2.

Cæterùm hîc nobis objicitur locus apud Matth. 5, & 19, ubi Christus inquit: *Quicumque dimiserit uxorem suam nisi ob fornicationem; & aliam duxerit, mœchatur.* Ex quibus verbis à contrario sensu hoc argumentum comminiscuntur adversarii nostri. Ergò inquiunt, qui ob fornicationem dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, eam non mœchari. Unde consequens videtur, propter fornicationem uxoris solvi matrimonii vinculum, & impunè posse aliam duci. Verùm hoc argumentum nihil movet Catholicos, qui uno ore affirmant, matrimonii vinculum non dissolvi propter fornicationem. Et probat Catholicorum sententiam textus *in can.* 1, *cum aliquot c. seqq.* XXXII. *qu.* 7, & extat expressus hac de re Canon Concilii Trid. *Sess.* 24, *cap.* 7, *de Sacram. matrim.* Itaque quod ad dictum locum Matthæi attinet, exceptio illa, *nisi ob fornicationem*, referenda est ad solam dimissionem, ut tantummodò propter fornicationem liceat absolutè & in perpetuum uxorem à se dimittere, quoad torum & cohabitationem. Non autem referri debet ea exceptio ad matrimonium cum alia contrahendum, quasi hoc liceat, & non sit adulterium, sicut ex D. Thom. & aliis probat Greg. de Valent. *Comment. Theolog. tome* 4, *de matr. disp.* 10, *quæst.* 1, *puncto* 7, Quare ex illis verbis à contrario sensu perperam infertur, uxorem ob fornicationem dimitti posse, ut etiam liceat aliam ducere. Et licet aliàs argumentum à contrario sensu utroque jure receptum sit, *l.* 1, *D. De eo cui mand. est. jurisd. l. Qui testamento* 20, *§ mulier D. De testam. &c. Cùm Apostolica* 7, *in fine De his quæ fiunt à Prælat.* tamen cessat,

cessat, ubi absurdus sequeretur intellectus, vel correctio juris, ut hoc nostro casu, quo vinculum matrimonii propter fornicationem dissolveretur, contra naturam matrimonii & auctoritatem totius Ecclesiæ, quæ hanc dissolutionem nullâ ratione admittit, sicut constat ex prædicto Canone Conc. Trid.

Neque movet, quòd uxor etiam ob alias causas dimitti possit, quoad torum & cohabitationem, puta, propter hæresin, sævitiem, & similes, ut paulò antè explicavimus. Nam hæ dimissiones ob duplicem rationem à Christo omissæ sunt, solâ mentione facta fornicationis, eò quòd fornicatio propria & omnium justissima causa sit dimittendi uxorem suam; quia directo pugnat cum fide conjugali, quæ in eo consistit, ne alter conjugum alteri tertio corpus suum communicet. Aliæ verò communes sunt omni societati, sive commerico hominum. Nam propter hæresin, furorem, sævitiam, non tantùm separantur à se invicem conjuges, sed & filius à patre, frater à fratre, vel qui societatem inter se contraxerunt. Deinde separatio matrimonii propter fornicationem perpetua est, neque pœnitentiâ matrimonium reconciliatur: quod non est in aliis causis, quæ temporales sunt, hoc est, tam diu durat separatio matrimonii, quam diu durat ipsa causa, sicut suprà docuimus. Vide latiùs Bellarm, *lib.1, De matr. Sacram. cap.14.*

In Cap. Porro 3. juncto c. Significasti 4.

SUMMARIA.

1. *Non potest quis uxorem propriâ auctoritate ex causa cognationis dimittere.*
2. *Vxor propriâ auctoritate à marito expulsa rectè petit restitui.*
3. *Et quid si adulterium notorium sit? Intellectus c. 4, h. t.*

HOc Cap. tertium plerisque difficile videtur. In eo consultus S. Pont. de quodam Comite, qui uxorem suam absque judicio Ecclesiæ, hoc est sine cognitione & sententia judicis Ecclesiastici, dimiserat, ideo quòd asserebat eam esse cognatam prioris uxoris suæ defunctæ. Qua de re, inquam, consultus S. Pont. rescribit hoc cap. nostro, Comitem compellendum esse, ut uxorem à se dimissam in consortium suum recipiat; adeò licet parentela sive cognatio notoria sit, adjectâ pœnâ excommunicationis, si contumax fuerit.

Deinde in eodem hoc cap. 3, respondet ad aliam quæstionem, quæ similiter ipsi proposita fuit, de viro, qui cognatam suam in uxorem duxerat, ut si inter eos parentela sive cognatio manifesta sive publica sit, per sententiam dirimatur, etiamsi nullus extet accusator, qui hoc matrimonium impugnet. Intellige verò de cognatione intra quartum consanguinitatis vel affinitatis gradum, juxta decisionem textus *in c. Non debet sup. De consang. & affin.* ubi fusiùs id persecuti sumus.

Et quidem prioris ratio hæc est, quòd nemo sibi ipsi jus dicere possit, sed judex adiri debeat, *l. un. C. Ne quis in sua causa jud. l. Nullus 13, C. De Iudæis, c. Conquerente 7, juncta Cl in V. voluerit sup. De restit. spoliat.* ubi etiam nullus privari debet jure suo absque cognitione causæ, *l. fin. in fine C. Si per vim, &c.* Ut hinc etiam prædo possessione suâ dejectus absque judice rectè restituionem petat, *cap. In literis 5, De rest. spoliat. l. 1, §. qui à me D. De vi & vi arm. & § recuperandæ Inst. De interd.* Unde etiam uxor, quæ privatâ auctoritate à marito domo exturbata est, aut aliter dimissa, rectè intentat interdictum recuperandæ quasi possessionis, ut in pristinum statum restituatur, *per h. text. nostr. & in cap. Ex conquestione 19, De rest. spoliat.* Quod usque adeò obtinet, etiamsi causa impedimenti matrimonii in judicium deducta fuerit; adhuc enim ejici non poterit uxor ante latam sententiam, *c. 2, Vt lite pend.*

Cæterùm his refragari videtur textus *in c. Significasti 4, inf. eod.* quo uxor privatim dimissa à marito propter adulterium non restituitur, si adulterium notorium sit. Igitur notorium restitutionem uxoris impedit, contra hunc tex. nostrum. In quo nodo solvendo variè laborant Interpretes, ut videre est hic apud Panorm. & alios. Verùm omissis cæteris referam sententiam Joan. Corasii *lib. 2, Miscell. c. 2*, qui rem ferè attigisse videtur. Cùm enim (inquit) spoliatus ante omnia restituendus sit, id non in titulo aut jure petentis, sed in odio spoliationis fundatur, *c. fin. sup. De ord. cognit. & d. c. In literis cum simil.* nisi is, qui

qui restitutionem petit possessionis, manifestò & evidenter esset incapax, veluti si Prælatus laicum, qui spiritualia possidere aut quoquo modo administrare nequit, *c Decernimus sup. De judic.* spoliasset. Innoc. ad *c. Constitutus sup. De fil presbyt.* Qua ratione (addit Corasius) Bonifacius VIII *in c. Decimas De restitut spoliat. lib. 6*, noluit Canonicos S. Nicolai spoliatos à Benedicto Clerico perceptionem decimarum restituere, cùm ad possessionem decimarum in aliena parochia restitui postularent, quam nullo jure eos habere posse certius est, quàm ut longiore egeat probatione. Sed malè hoc ex eadem ratione deducit Corasius. Non enim Canonici incapaces sunt decimarum in aliena parochia, cùm eas præscriptione, aut alio titulo sibi acquirere possint, *c 1, De præscript. lib. 6, c. 9, & 10, c pen sup. De decim.* sed quòd Canonicis jus commune resistat, quo debentur decimæ Parocho, *c. Cùm contingat 29, cum c seq. sup. d. tit. De decim.* Unde necesse est, antequam restitui possint Canonici, ut probent titulum suæ possessionis, *d. c 1.* Quod notent Parochi contra eos, qui in sua parochia decimas colligunt, quòd impunè eos spolient possessione suâ, & non antè restituantur spoliati, quàm titulum suæ possessionis docuerint.

Alteram exceptionem hujus regulæ, quòd spoliatus ante omnia restituendus sit, hanc adfert idem Corasius, quando scilicet spoliatio fit legis auctoritate, veluti cùm uxor adultera, à qua maritus divertit, restitutionem petit. Nec enim in culpa videtur maritus, qui uxorem adulteram, quam omni lege & divinâ & humanâ retineri prohibetur, dimisit, *ut in d. c. Significasti & in l Miles § fin D. Ad L. Iul. De adult.* Diversum est in hoc *c. 3*, quo prohibetur maritus dimittere uxorem suam prætextu consanguinitatis sine judicio Ecclesiæ, quòd id nullâ lege caveatur. Sed & in hoc labitur Corasius. Non enim maritus cogitur adulteram uxorem dimittere propriâ auctoritate, sed ad reconciliandam eam sibi potius à jure invitatur, *c Quod autem, cum duob seqq. XXXII. qu. 1, sicut & sup eod ad c 2, meminimus.* Dominus (inquit D. Augustinus) permisit causâ fornicationis uxorem dimitti; sed quia permisit, non jussit, *text. est in can. Cùm Apostolus XXXII. q. 7.*

Nihilominus defendi potest sententia Corasii, si eam accipiamus juxta mentem Panormit *in c. fin. inf. De adult.* siquidem asserit Panorm uxorem adulteram auctoritate propriâ posse dimitti à marito, cùm hoc illi permissum sit auctoritate divinâ, juxta illud *Matth. 5, & 19, Quicumque dimiserit uxorem suam nisi ob fornicationem &c.* Et confirmatur, quia propter adulterium uxor ipso jure perdit jus exigendi debitum conjugale à marito. Navarr. *in Manualic. 22, n. 23.* quare rectè eamdem dimittit, cum ad reddendum uxori adulteræ debitum non sit ampliùs obligatus, & probat text. apertus *in can Agathosa XXVII q. 2.*

Interim ab Ecclesia sive Ecclesiastico judice restitutio fit, donec constet de adulterio. Constabit verò, si adulterium notorium sit, non quovis modo, sed per confessionem factam in judicio, aut per evidentiam rei, quæ nullâ tergiversatione celari potest, *c fin sup De cohab. Cleric.* putà si publicè cohabitet adultero, *Gl. ad can 1, XXXII. q 1, & est text. in c. pen. inf. De adult.* vel certò constet ex adultero filium suscepisse, *can. Priusquam dist. 28*, Etenim in hujusmodi notorio nullo opus est judicio, nullâ condemnatione, *can De manifesta II. q 1, c. Quoniam 10, sup. De fil presbyt. c. 5, & Pervenit c. 13, De appellat.* sicut accidit *in d. c. Significasti*, in quo adulterium uxoris notorium fuit, ex ejusdem confessione. Secus verò in *hoc cap. 3*, eò quòd parentela ita notoria esse non possit, sicut adulterium. Nam tametsi uterque contrahentium in judicio fateatur parentelam, non tamen ideo dissoluitur matrimonium, cùm matrimonium semel contractum non pendeat ampliùs à voluntate partium. Quod enim Deus conjunxit, homo non separet, *Matth. 19*, Idem est, si dicatur notoria esse parentela. Verùm neque hæc per evidentiam rei ostendi potest, siquidem ne quidem pater filium suum ostendere potest, nisi ex præsumptione, quod domi suæ ex sua uxore natus sit, *l Filium 6, D. De his qui sunt sui vel alieni jur.* Notorium verò talem evidentiam requirit, quæ nullâ tergiversatione celari potest, *per text in cap. fin sup. De cohabitat. Clericor.*

In Cap. Quanto 7.

SUMMARIA.

1. *Ob hæresin alterius conjugum non dissolvitur matrimonium.*

2. *An rectè quis ex hac causa se separet ab altero.*
3. *Quid de matrimonio infidelium?*

1 SEntentia hujus Cap. hæc est, quòd matrimonii vinculum non solvatur, altero conjugum in hæresin lapso. Ubi verò unus infidelium ad Christianam fidem convertitur, & alter non vult ipsi cohabitare, vel vult quidem, sed non potest sine blasphemia divini nominis, vel ut non eum pertrahat ad mortale peccatum, potest conversus alterum deserere, & aliud inire matrimonium. Et quod ad hæresin attinet, ratio hæc redditur, quòd matrimonim inter Christianos contractum est Sacramentum, designans conjunctionem Christi cum Ecclesia sua, quæ indissolubilis est, *c. Debitum 5, sup. De bigram.* De infidelibus est D. Pauli sententia, 1, *ad Cor. c 7, §. infidelis discedit, discedat:* & quod sacer Canon inquit: Contumelia creatoris solvit jus matrimonii, *text. est in can. Si infidelis* XXVIII *q.* 2, Utraque ratio hoc textu nostro reperitur.

2 Et quamvis propter hæresin matrimonii vinculum non dissolvatur, rectè tamen se separat alter conjugum ab altero in hæresin lapso, juxta decisionem *c. De illa 6, sup. eod.* etiam propriâ auctoritate, juxta illud D. Pauli *ad Tit. 3, Hæreticum hominem post unam & secundam correptionem devita.* Si tamen neget se hæreticum, nulla separatio admittitur, nisi per judicem Ecclesiasticum declaratus fuerit hæreticus, *per text in c. Cùm secundùm 19, De hæret. lib. 6.*

Nec movent verba textus nostri: *Licet quidam prædecessor noster sensisse aliter videatur.* Intelligit textus Cælestinum III. qui putabat, matrimonium propter hæresin ita dissolutum, quòd licuerit Catholico etiam aliud contrahere matrimonium. Cujus sententiam hic rejicit Innoc. III. asserens matrimonii vinculum non dissolvi propter hæresin. Non tamen ob id Cælestinus hæreticus judicandus est, quemadmodum eum insimulare videtur Alphonsus à Castro *lib. 1, de Hæresib. c. 4,* siquidem Cælestinus hanc sententiam suam noluit esse decretum fidei, sed tantùm respondit, quid sibi probabilius videbatur. Etenim si propter conversionem alterius infidelium solvitur vinculum matrimonii, multo magis videbatur dissolvi propter hæresin, propter majorem contumeliam Deo illatam propter hæresin. Itaque Cælestini responsum non decretum fidei continet, sicut nec Innocentii hic, dum rejicit Cælestini sententiam, dum utitur his verbis: *Non credimus, quod in hoc casu is, qui relinquitur* (scilicet propter hæresin) *vivente altero possit ad secundas nuptias convolare.* At verò hodie hæc sententia Innocentii inter decreta fidei relata est ex declaratione Concilii Trid. *Sess. 24, can. 5,* De *Sacr. matrim.* dum ita inquit: *Si quis dixerit, propter hæresin aut molestam cohabitationem, aut affectatam absentiam à conjuge dissolvi posse matrimonii vinculum, anathema sit.*

Quo verò ad matrimonium infidelium, illud solvitur etiam quoad vinculum, non quidem statim, sed contracto per conversum alio matrimonio, *per hunc text nostr & in d. can Si infidelis.* Quod etsi alii controvertant, utrùm per solam conversionem ipso jure dissolvatur matrimonium, an per sententiam judicis, aut per subsequens cum alio, aliave matrimonium, ut videre est hic apud Henr Bohic. tamen certius est non solvi nisi per matrimonium. Argumento est, quod in *cap. seq in fine dicitur,* Si virum conversum ad fidem mulier conversa sequatur, antequam ille aliam duxerit, teneri virum eam recipere. Non igitur per solam conversionem unius infidelium dissolvitur ipso jure matrimonium, sed secutis cum alio nuptiis. Etenim crimina in Baptismo solvuntur, non conjugia, *inquit text. in can.* 1, XXVIII *q.* 2, *& in c. Gaudemus inf eod.* Rectè verò quoad usum conjugii conversus sive conversa conjugem dimittit, ubi scilicet infidelis non vult converso cohabitare, aut vult quidem, sed non sine contumelia creatoris, id est, Dei, aut non sine peccato mortali. Et tum demum matrimonii vinculum solvitur, si conversus ad alias nuptias convolaverit.

Non obstat, quod contrà objiciunt, quòd matrimonium infidelium non minùs indissolubile sit, quàm Christianorum, propter sententiam Christi, apud Matth. 19, *Quod autem Deus conjunxit, homo non separet,* dum volunt hoc non minùs pertinere ad infideles quàm ad fideles. Accedat, quòd matrimonii vinculum indissolubilem nexum continet, ex illis verbis *Gen 2, Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne meâ, quamobrem relinquet homo patrem suum, & matrem, & adhærebit uxori suæ,* sicut ex his verbis colligit Concil. Trid. *Sess. 24, in doctrina de Sacram. matr. in princ.* Quia respondetur, in infidelibus nos habere interpretem D. Paulum *d. c. 7,* qui ab hac sententia excipit infidelem ad fidem conversum, sicut jam explicatum.

In

In Cap. Gaudemus 8.

SUMMARIA.

1. *Infidelium altero converso matrimonium intra gradum prohibitum ante contractum non dissolvitur.*
2. *Matrimonium infidelium an Sacramentum?*
3. *Quid juris in pagano plures uxores habente converso.*

HOc Cap. consultus S. Pontif. utrùm pagani, id est, infideles uxores accipientes, in secundo, tertio, vel quarto consanguinitatis gradu, debeant post conversionem suam ad fidem Christianam simul remanere, vel à se mutuò separari? * Rescribit eos minimè à se invicem
1 separari oportere, cùm non minùs inter infideles, quàm fideles Sacramentum conjugii existat. Quod comprobat auctoritate D. Pauli, 1, *ad Corinth.* 7, ubi his verbis inquit: *Si quis frater infidelem habet uxorem, & hæc consensit habitare cum eo, non illam dimittat.*

Ratio verò dubitandi erat, quòd prohibitum sit matrimonium inter consanguineos intra quartum consanguinitatis gradum, *cap. Non debet sup. De consang. & affin.* Unde cùm devenerit matrimonium infidelium in eum casum, à quo incipere non potuit, videbatur tale matrimonium ipso jure dirimi, *arg. §. item contra Instit. De inutil. stipul.* Cui occurrit hìc Summus Pont. quòd, cùm infideles non subjiciantur Canonicis constitutionibus, juxta illud D. Pauli, *Quid enim ad nos, qua foris sunt judicare?* rectè contrahant matrimonium in secundo, tertio, vel quarto consanguinitatis gradu, quorum prohibitio à jure Ecclesiastico introducta fuit, *d. c. Non debet.* Neque matrimonium propter subsequentem baptismum dirimitur, cùm per baptismum non tollantur conjugia semel legitimè contracta, sed crimina dimittantur. *text. hic in verb. cùm per Sacramentum Baptismi, &c.* Cujus quoque meminimus ad *c. 4, sup. De consang. & affin.* Nec obstat, quòd jam in eum casum matrimonium devenerit, à quo incipere non potuit; quia id locum non habet in matrimonio, propter favorem fidei Christianæ, *per hoc text.*

Cæterùm quod dicit textus noster, Sacramentum conjugii tam apud infideles, quàm fideles existere, accipiendum est quoad contractum matrimonii, qui non minùs celebratur inter infideles; sed nequaquam uti Sacramentum, eo quòd Baptismo careant, qui est aliorum Sacramentorum fundamentum & janua, *c. 2, De cognat. spirit. lib. 6, & can. Cùm itaque in fine de consecr. dist. 4.* 2

Quia nonnunquam pagani plures simul uxores habent, quid in his juris sit, si ad Christianam fidem convertantur, decidit hic similiter S. Pontif. quòd scilicet primæ uxori, aliis dimissis, adhærere cogantur. Cujus rationem hanc reddit, quòd scilicet ab initio, id est, in paradiso ùna costa in unam fæminam conversa sit, non verò in plures: & Scriptura divina testetur, quòd propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una, nullâ mentione factâ plurium uxorum, *ut videre est Genes. c. 2, & Matth. 19,* Quod præceptum divinum non minus ad infideles, quàm ad fideles pertinet, sicut constat *ex d. c. 19, in pr.* Exceptis tamen iis, quibus divinâ revelatione concessum erat, ut simul plures uxores habere potuerint, sicut constat in Abraham, Jacobo, aliisque Patriarchis veteris Testamenti, *text. hic in versic. nec illumquam.* Quod cùm singulare fuerit, & ex divina dispensatione contigerit, non est ab aliis in consequentiam trahendum, *c. Quæ à jure communi De R. I. lib. 6.* 3

In Cap. ultimum.

IN hoc Cap. prohibetur matrimonium cum dicta vidua fratris sui defuncti, quia est ipsi in primo affinitatis gradu, nisi cum summi Pont. dispensatione, quemadmodum hìc dispensat cum Livonibus ad fidem Christianam conversis. De qua dispensatione fusissimè egimus ad *cap. 3, sup. De consang. & affinitate.*

IN TIT. XX. DE DONATIONIBVS INTER VIRVM ET VXOREM, ET DE DOTE POST DIVORTIUM RESTITUENDA.

SUMMARIA.

1. *Donatio quotuplex: Simplex quæ, & qualiter fiat.*
2. *Donatio mortis causâ.*
3. *Donatio causâ dotis.*
4. *Remuneratoria.*

1 VAria genera donationis sunt. Aut quis simpliciter donat, solius liberalitatis exercendæ causâ, quæ & idcircò donatio simplex appellatur, *l. 1, in princ. D. De donat.* In qua si intervenerit rei traditio, statim ea fit accipientis, *d. l. 1, & l. 6, D. d. t. juncto § per traditionem Inst. De rerum divis.* Sin minùs, sed res per stipulationem donata est, agitur condictione certi ex stipulatione, si res certa donata est; si incerta, condictione ex stipulatu, *tit. Instit. De verb. obligat. in princ.* Ubi distinguitur inter hanc stipulationem, *Vis mihi donare equum tuum?* & illam, *Donas mihi equum tuum?* Nam priore genere nulla adhuc donatio est, sed sola est promissio, ex qua agi potest ad donandum: posteriore genere est vera donatio. Fit & hæc donatio simplex per nudum pactum sive conventionem, veluti, *Dono tibi ædes meas, equum meum, &c.* ex qua ante Justinianum nulla oriebatur actio, propter regulam generalem, quâ ex nudâ conventione nulla dabatur actio, *l. Iuris gentium §. sed cum nulla D. De pact.* Sed hodie datur ex Justiniani constitutione, quæ vocatur condictio ex *l. Si quis argentum 35, C. De donat. junctâ l. un. D. De condict. ex lege.* Et hæc de donatione simplici.

Est & donatio ob causam, qualis est donatio 2 causâ mortis, cùm quis donat ob suspicionem mortis imminentis, licet adhuc firmæ valetudinis sit, *l. 3, & passim D. De mortis causa donat.* In qua obiter notandus error testatorum vel potius Notariorum, dum in testamentis adjiciunt has clausulas, *Si hæc voluntas ultima non valet ut testamentum, valeat ut codicillus vel donatio causâ mortis.* Nam cùm donatio causâ mortis contractus sit, non potest fieri inter absentes, *l. Inter 38, D. De donat. mortis causâ.*

Item donatio causâ dotis, quæ ob causam 3 ideo dicitur, quòd dos à muliere, vel ejus nomine viro suo detur, vel constituatur, pro oneribus matrimonii sustinendis, *l. Pro oneribus 20, D. De jure dot.* In cujus vicem ex parte viri donatio fit propter nuptias, quæ & ob causam dicitur, videlicet respectu dotis, *l. fin. cum Auth. Dos data & Auth. Eo decursum C. De donat. ante nupt.*

Item est donatio remuneratoria, quæ fit præ- 4 stiti officii causâ, *l. Attilius 27, l. Si pater 35, § fin. D. De donat. sub modo.*

In Cap. primum.

SUMMARIA.

1. *Dos quando restituenda.*
2. *Restituenda integra.*
3. *Idq; per errorem matrimonio putativo contracto.*

1 HOc Cap agitur de dote restituenda mulieri, dissoluto matrimonio, puta propter consanguinitatem, affinitatem, aut simile impedimentum canonicum, quod ignorabatur subesse inter contrahentes. Itaque cùm inter eos non constiterit verum & legitimum matrimonium, rectè hoc textu nostro jubetur restitui dos, utpote quæ sine matrimonio constare non potest, *c. Etsi necesso 5, inf. eod. §. Si adversus Instit. De nupt.* Et quidem integra dos reddi debet, non 2 habita ratione beneficii legis, quo aliàs marito succurritur, ne ultrà, quàm facere possit, conveniatur, *l. Non tantum 20, D. De re jud. §. item si de dote Instit. De action. l. un. §. cùm autem C. De rei uxor. act. junctâ l. In condemnatione D. De R. I.* Hoc enim beneficium competit veris maritis, non putativis, hoc est, cum quo solummodò putatur fuisse justum matrimonium: sicut contra Gloss. & Hostien. rectè censet Joan. Andr. hic, & Panorm. quorum etiam sententia communis est, teste Alex. quem refert annotatio ad Panorm. *hic*, & probat textus noster, dum totam dotem præcipit reddi mulieri. Et rectè. Nam quod verus maritus non condemnatur ultrà quàm facere pos-

possit, hoc tributum est reverentiæ maritali, *d. §. autem*, quæ in putativo marito nulla est, cùm numquam fuerit maritus. Unde etiam fit, quòd hæc dos non repetatur actione dotis, sed conditione sine causa, *l. fin. D. De condict. sine causa*, & Joan. Andr. *hic*. Quid juris sit in donatione propter nuptias dicetur *ad d. c. Et si necesse*.

Et hæc quidem quæ de restituenda dote dicta sunt, exaudiri debent, ubi per errorem matrimonium putativum contractum est. Cæterùm si scienter, dos non restituitur, sed fisco infertur, *per text. in l. Qui contra 4, & Auth. Incestas C. incest. & inutil. nupt.* nisi tamen ætatis lubrico lapsa sit mulier, & statim cognito errore à marito discesserit, *d. l. Qui contra*. Quæ tamen lex videtur propriùs accipienda esse de lucris matrimonii, ut per Panorm.

In Cap. Significavit 2.

SUMMARIA.

1. *Mulier acquisita præsumitur acquisivisse ex bonis mariti.*
2. *Vt & Prælatus ex bonis Ecclesiæ.*
3. *Dotis causa ad quem iudicem spectet.*

1 IN hoc Cap. hoc amplius est, quàm in superioti, quòd scilicet, matrimonio ex prædictis causis dissoluto, præter dotem in divisionem veniant ea bona, quæ utrique constante hujusmodi matrimonio putativo communiter obveniunt. Quod tamen constare debet, alioquin quæ mulier acquisivit, præsumitur acquisivisse ex bonis viri sui, vel ejus, qui in ipsius potestate est, *l. Quintus Mutius 52, D. De donat. inter vir. & uxor. & l. Etiam 6, C. eod. tit.* Idque evitandæ turpis suspicionis causâ, *d. l. Q. Mutius*. Ex quo hic infert rectè Panorm. si mulier ultra dotem reperiatur aliquid habere, posse id à marito vindicari, cùm præsumatur acquisitum ex bonis viri sui: addo, vel ejus, qui in ipsius potestate est, ut jam antè diximus. Nisi mulier contrarium docuerit, hoc est, probaverit, ad se pervenisse titulo successionis hæreditariæ, legati, vel fideicommissi, sive ex contractu aliquo cum alio celebrato: utpote cum hoc casu elidatur illa præsumptio, factâ probatione in contrarium: in certis enim, ut dici solet, non est conjecturæ sive præsumptioni locus, *l. Continuus 137, §. 2, in fine D. De verb. oblig.*

Quod autem Glossa & Butr. hic, id, quod de
2 muliere diximus, transferant ad Prælatum Ecclesiæ, ut videlicet & hic, si quid acquisierit, præsumatur prospectu Ecclesiæ, vel ex bonis Ecclesiæ acquisivisse, id simili ratione nititur, ne si aliter dixerimus, censeatur quæsivisse ex negotiatione, quæ Clericis interdicta est, *c. 1, & 2, Ne Clerici vel monachi*, Panor *ad c. 1, De pecul. Cleric.* Unde & in hoc casu necesse est probare, ea non intuitu Ecclesiæ acquisita fuisse, sed aliunde pervenisse ad Prælatum, *c. 1, c. Quæ nobis 9, c. Relatum 12, sup. De testam. can. Episcopi cum 2, seqq. XII qu. 1*, Conjunge quæ habet text. *in c. Relatum 15, sup. De testam.*

Illud contendunt Interpretes, cur S. Pont. hic 3
mandaverit dotem restitui, cùm hæc res potiùs ad sæcularem judicem pertineat. Nec enim dos spirituale quid in se continet, ac proinde ejus cognitio & restitutio meritò ad sæculare judicium rejicienda esset, *c. Causam quæ 7, sup. Qui filii sint legit.* Sed respondetur, dotis causam ad judicem sæcularem pertinere, si principaliter ea in judicium deducatur, non si accessoriè, ratione videl. matrimonii dissoluti vel dissolvendi, dos restitui petatur, *c. 1, & c. 3, inf. eod.* cùm accessorium soleat sequi naturam sui principalis, *c. Accessorium De R. I. in 6*, At hoc textu nostro pro restitutione dotis judicialiter actum non fuit, sed per denuntiationem Evangelicam, propter peccatum iniquè retinentis dotem suam: quo casu etiam in civilibus causis rectè aditur Judex Ecclesiasticus, *c. Novit 13, sup. De judic.* juxta illud *Matth. 18, Si autem peccaverit in te frater tuus, vade & corrige eum inter te & ipsum solum &c.* Idque ex verbis textus nostri satis colligitur, dum meminit districtionis, id est, censuræ Ecclesiastici, quæ ob peccatum tantummodò infertur. Cùm enim divortium inter virum & mulierem antè celebratum esset, liquidò constabat, dotem à marito injustè retineri, item mediam partem bonorum communiter acquisitorum. Atque idcirco locus fuit denuntiationi Evangelicæ.

Quod autem additur in textu nostro, *& non est aliud quod obsistat*, intelligit Glossa hic, pactum vel consuetudinem, ut si pactum inter virum & mulie-

mulierem intercesserit, vel consuetudo loci aliter dictaverit, dos integra non sit restituenda, neque dividenda bona. Quod quidem, quod ad divisionem bonorum attinet communiter acquisitorum, rectè admiserim, sed quoad pactum nequaquam, cum turpe hoc pactum esset in specie textus nostri, in quo agitur de putativo matrimonio. Præsumitur enim uterque vel alter eorum contrahentium scivisse impedimentum, vel dolo malo contraxisse matrimonium, ob quem non tam restitui, quàm fisco inferri debet dos, *l. Qui contra 4, C. De incest. & inut. nupt.* Cæterùm in matrimonio vero sive legitimè contracto pactio de non restituenda dote, dissoluto per mortem matrimonio, valet, *c. ult. & ibi dicam inf. eod.*

In Cap. De prudentia 3.

SUMMARIA.

1. *Iudex proferens sententiam divortii simul & pronuntiat de restituenda dote.*
2. *Cur hoc cap. omissam causam dotis restituendæ repetere jubeatur.*

1 EX hoc Cap. constat, judicem, qui sententiam divortii inter virum & mulierem profert, propter consanguinitatem, vel etiam aliud impedimentum canonicum, debere simul pronuntiare de restituenda dote mulieri.

2 Sed mirum videtur, quòd hic, finito judicio per sententiam divortii judices delegati à Sede Apostolica omissam causam dotis restituendæ repetere jubeantur, cùm illi judices semel officio suo functi sint. Judex, inquit Ulpianus, posteaquam semel dixit sententiam, judex esse desinit. Semel enim malè seu benè functus est officio, *text est in l. Iudex posteaquam 55, D De re judicata.* Sed respondet Glossa hic, quòd iidem hoc faciant ex novo mandato S. Pontificis. Verùm hæc responsio textui nostro minimè convenit, siquidem hoc mandatum posterius ex priori mandato deducitur: *Quia igitur*, inquit, *vos qui de matrimonio principaliter cognovistis, & de dote (quæ est causa incidens) accessoriè cognoscere valuistis, & sententialiter definire.* Quare rectiùs Ant. Butr. hic existimat, judicis officium non exspirâsse per sententiam super divortio latam, cùm & dotis causa priori mandato insit, & propriâ actione peti possit dos, videlicet condictione sine causa, *l. fin. D. De condict. sine causa.* Quæ cùm omninò distincta sit à causa matrimonii, rectè coram iisdem judicibus intentatur. At ubi id, quòd planè accessoriè venit in judicium, & actione separatâ peti non potest, sed solo officio judicis, exspirat sententia lata in causa principali, *d. l. Iudex posteaquam, c. In literis 9, sup. De off. & potest. jud. deleg. & l. 4, C. Depositi.*

In Cap. Plerumque 4.

SUMMARIA.

1. *Mulier ex causa adulterii à marito separata dotem repetere non potest.*
2. *Nisi & ipse maritus adulterium commiserit, vel ei causam dederit.*
3. *Dotalitium quid?*
4. *Filia sam. ob adulterium an præjudicet patri in dote profectitia?*
5. *Petitio dotis an competat & hæredibus mariti?*
6. *Maritus ob adulterium amittit donationem propter nuptias*
7. *Ex causa adulterii agitur vel criminaliter vel civiliter.*
8. *Criminali judicio agit maritus contra uxorem adulteram, non è contra.*

1 HOc textu nostro mulier ob causam fornicationis, id est, adulterii, ex sententia judicis, vel propria voluntate à marito suo separata, nec ei reconciliata, dotem repetere non potest. Ratio est, quia repetenti obstat exceptio adulterii, propter quod amittit dotem mulier, & marito applicatur, *§. quia verò plurimas vers. si de adulterio Nov. 117, Vt liceat matri & aviæ, & l. Consensu 8, C. De repud.** Idque ita accipiendum est, nisi & ipse maritus adulterium admiserit sive fornicationem; tunc enim cùm mutuâ compensatione delicta tollantur, non obest mulieri exceptio adulterii, *c. pen. & ult. inf. De adult. & XXXII q. 6. per tot & l. Viro 40, D. Soluto matrim.* aut nisi maritus

auctor

auctor fuerit uxori adulterii committendi, vel factum probavit, *cap Dispositionem 6 sup. De eo qui cogn. cons. uxor. l. Cum mulier 49 D. Soluto matr. & l. Si uxor 13 § fin D. Ad L. Iul. De adult.* sicut ad *c. 2. De divort.* latiùs explicavimus. Nam cum his casibus objici non possit uxori adulterium, sed maneat in suo vigore matrimonium, *d. c. pen. & ult.* non perdit uxor dotem, vel dotalitium, propter onera ejusdem matrimonii, *l. Pro oneribus 20. C. De jure dot.*

Quid verò per *dotalitium* intelligat hic textus, 3 non convenit inter Interpretes. Nam Gloss. *in V. dotalitium*, intelligit res paraphernales, hoc est, quas extra dotem uxor habet, ita quòd & has maritus lucretur, propter adulterium uxoris. Quam interpretationem sequitur & Petr. Costal. *ad l. Lucius 38 D. Soluto matrim.* Sed improbant Panorm. & Butr. hic, cùm nusquam reperiatur, appellatione dotalitii venire res paraphernales. Et durum esset, in pœnalibus verba extendere, *l. Interpretatione 42. D. De pœn. c. In pœnis & c. Odia De R. I. in 6.* Unde Panorm. hic intelligit per dotalitium dotis pretium, ut quia dos data est in iis rebus, quæ numero, pondere, vel mensurâ constant, aut cùm res æstimatæ datæ sunt in dotem. Nam cùm utroque casu dominium transeat in maritum, ita quòd æstimatio dotis debeatur, *l. Res in dotem 43. & l. Plerumque 11 D. De jure dot.* rectiùs Panorm. interpretatio admittitur, ut scilicet mulier adultera dotem perdat, vel ejus pretium *adde quæ tradit* Mynsing. *in princ. tit. Institut. Quib. alien. licet vel non.* Quæ certè interpretatio convenit textui nostro, cùm inquit, *Mulier dotem vel dotalitium repetere non valebit.* Intelligendo, ut jam dictum est, per *dotem* rem ipsam dotalem, per *dotalitium* ipsius æstimationem.

Non ignoro dotalitii nomine venire etiam donationem propter nuptias, *ut in cap. Ex parte 15. sup. De foro compet.* Verùm hæc significatio ad præsentem textum nostrum accommodari non potest, cùm donatio propter nuptias non detur à muliere viro, sed à viro mulieri, *Auth. Æqualitas C. de pact. convent.* Textus verò noster utitur verbo *repetere*, quod præsupponit donationem. Ubi tamen observandum est, quòd præter amissionem dotis vel dotalitii mulier quoque perdat tertiam partem ex aliis bonis suis, juxta tertiam partem æstimationis dotis suæ, *§. quia vero plurima, vers. si adulterio d. Novell. 117.*

4 Cæterum quæruntur hic Butrius & Præpos. An filiafamilias propter adulterium suum præjudicet patri suo in dote profectitia, hoc est, quæ ab ipso patre est profecta, scilicet ex ejus bonis? Quod primâ facie videtur, ideo quòd filia sit domina dotis, licet hæc à patre profecta sit, *l. Pomponius 36. D. Famil. ercisc.* tum sibi imputet pater, quòd dotem in hujusmodi casu sibi restitui stipulatus non sit, *per text. in l. Si dotem C. de jure dot.* Verum rectius Dynus, quem citat hic Butr. & Bart. *ad l. 2. Parag. voluntatem D. Soluto matrim.* quòd scilicet filia non præjudicet patri. Nam de dote repetenda actio patri & filiæ communis est, ita quòd factum filiæ nocere patri non debeat, *l. 2. & 3. D. Soluto matrim.* Idem & Castr. dum inquit, si filia nondum effecta sui juris moriatur in matrimonio, vivente patre, quòd teneatur maritus dotem restituere patri. Aliter si morte patris, vel emancipatione, sui juris facta sit. Cum enim hoc casu actio de dote consolidetur in persona filiæ, dos propter adulterium amittitur, & cedit lucro ipsi marito. *vide* Castr. *ad l. 2. Parag. item si voluntate & l. 3. D. d. Soluto matrimon.* Boër. *decis. 388 num. 5.*

Idem juris est in uxore, quæ liberos habet ex eodem matrimonio, quòd & hoc casu dotem non lucretur maritus propter adulterium uxoris, sed filiis ejusdem matrimonii applicatur, *per text. in Parag. quia verò plurima, vers. si enim filios, d. Novella 117. Vel liceat matri & aviæ.*

Altera quæstio est, si maritus vivens non egerit ad lucrum dotis, utrum ejus heredi competat petitio sive retentio dotis? Negat Castren. *ad d. l. 2. Parag. item si voluntate D. Soluto matrimon. per text. in l. 1. in fine D. De re judic.* Qui textus nihil ad rem facit. Sententia tamen Castrensis in se verissima est, quam confirmat textus *in l. fin. C. De revoc. donat. & in cap. fin. sup. De donat.* quibus locis donatio ob ingratitudinem donatarii non revocatur ab hæredibus, ubi donator vivens tacuit, propterea quòd injuria extingatur cum morte delinquentis, *Parag. non autem omnis Instit. De perpet. & temp. act.* At dubium non est, propter adulterium uxoris inferri magnam injuriam marito; unde marito accusato adulterii ad heredem mariti non transit. Et hanc opinionem veram & communiter receptam tradit Boër. *d. decis. 338. num. 7.* adjecta duplici limitatione ex Dd. Una, nisi maritus ita repentè decessisset, antequam potuerit uxorem de adulterio accusare: altera, nisi maritus improbasset delictum uxoris, puta eam ejiciendo, vel conquerendo de adulterio uxoris, licet eam non accusaverit.

His enim casibus heres potest uxori dotem repetenti objicere adulterium & dotem retinere, per Dd. à se allegatos, quos tamen confer cum Boërio. Idem est, si ignoraverit maritus uxoris adulterium, quòd & hoc casu heredi dotis lucrum competat, *probat text. in l. fin. C. Ad L. Iul. de adult. & quæ ibi tradit* Salicet.

6 In adulterio quoque mariti idem retinendum, ut is propter adulterium amittat donationem propter nuptias: hâc tamen adhibitâ moderatione, ut non aliter eam amittat, & innocenti uxori applicetur, quàm si maritus frequenter cum alia muliere agat & bis admonitus non resipiscat, *§. causæ autem d. Novell* 117. Quod discrimen observandum est inter adulterium uxoris & mariti. Atque hæc quoad lucrum dotis & donationis propter nuptias. Cæterùm quoad separationem tori, de Jure Canonico sufficit vel in viro simplex fornicatio, ita quòd quoad tori separationem pari passu ambulent maritus & uxor adulterantes.

7 Loquimur autem ubi propter adulterium civiliter agitur. Nam sciendum est, ex adulterio duplex judicium nasci, unum criminale, alterum civile, & partim criminale, *c. Tua* 5. *De procurat.*

Criminale publicum judicium est hoc est publicæ vindictæ causâ exercetur, in eum scilicet finem, ut adulter gladio puniatur, *juxta l Quam vis* 10 *C. Ad L. Iul de adult. & Parag item lex Iulia. de adult. Instit. De publ. jud.* adultera verò verberata in Monasterium detrudatur, potestate interim marito relictâ eam intra biennium repetendi, *Auth Sed hodie C. d. t.* quæ desumpta est, *ex §. si quando Novell.* 134. *Vt nulli jud. adde c. Gaudemus* 19. *sup. De convers conjug.*

Civile judicium privatum est, solumque innocenti conjugi competens propter adulterium alterius conjugum, ut à se invicem separentur, & dos sive donatio propter nuptias innocenti respectivè applicetur, *per h. text. & in d. Parag. quia vero plurimas cum Parag. seqq. Novell.* 117. *Vt licetat matri & aviæ.*

Et licet criminale judicium à marito intentari possit contra uxorem adulteram, non verò è contra ab uxore contra maritum adulterum, *l* 1 *C. Ad L. Iul de adult.* tum quia maritus est caput mulieris, *c. Continebatur sup. De desponf. impub.* tum quia præjudicium impendet marito ex adulterio uxoris propter incertitudinem prolis, *l. Inter* 6. *Parag.* 1. *in fine D. Ad L. Iul. de adult.* quod secus est in adulterio commisso à marito: in civili tamen judicio, sive potiùs mixto, pares sunt maritus & uxor, prout jam antè dictum est. Quin & illud hic observandum est, quòd etsi ex adulterio duplex judicium nascatur, ut & ex aliis delictis, *l unica C Quando civil actio crimin. præjud. & l.* 1. *D. De privat. delict.* non tamen utrumque posse propter adulterium exerceri, cùm utrumque pœnale sit, per text. *in l. Quod Senatus cons.* 6. *D. De injur.* ne unum delictum pluribus pœnis coërceatur, *contra text. in cap.* 4. *sup. De jud. & in l. Sanctio* 41 *in fine D. De pœnit.*

In Cap. Per vestras 7.

SUMMARIA.

1. *Facti species.*
2. *Dotem qui constituunt.*
3. *Dos constante matrimonio an & quando repeti possit.*
4. *Ad dotem promissam tantùm an agi possit.*
5. *Dos promissa cur potiùs marito tradenda sub cautione, quàm mulieri.*
6. *Pro dote conservanda fidejussor peti non potest.*
7. *Dos, mariso ad inopiam vergente, cui consignanda.*
8. *An dos integra mulieri semper sit restituenda.*
9. *Causa dotis coram quo judice tractanda.*
10. *Ob dotem promissam non solutam uxor ejici à marito potest.*

Decisionem hujus Cap. notabilem & quotidianam censet Panorm. Quare primò facti speciem proponamus. Raynaldus certam quamdam pecuniæ summam promiserat Herennio in dotem, nomine uxoris suæ. Ille ea de re conventus coram delegatis Summi Pontificis, ut dotem exsolveret, duplicem exceptionem objecit. Unam, quòd Herennia uxorem suam rejecerat: alteram, quòd delegati judices essent impetrati, suppressa veritate: quòd ex eo constabat, quod semel à Consulibus civitatis

Genuensis

Genuensis de eâdem dote pronuntiatum fuisset in hanc sententiam, ut, quia Herennius ad inopiam vergere videbatur, dos non assignaretur ei, nisi cautionem idoneam præstaret, dotem uxori salvam fore. Quo audito, delegati judices sic judicarunt, ut Herennius ita caveret, & uxorem suam reciperet. Sed cum Herennius idoneè cavere non posset, consultus Summus Pontifex rescribit hoc textu nostro, ut eam, quam posset, Herennius cautionem præstet, vel saltem alicui mercatori dos committatur, percepturo interim Herennio honesti lucri partem pro sustinendis matrimonii oneribus. Singula expendamus.

2 Illud principio occurrit, quòd non solum mulier ex bonis suis dotem constituere possit, sed & pro ea pater, mater, & quivis alius extraneus ex bonis suis, *text est in l. Mulier 73. & l. si mulier 75. cum similib. D. De jure dot.* Quòd verò pater & mater, & quilibet extraneus, testantur passim jura *sub d. tit. C. & D.* In quo tamen illud discrimen observandum est, quòd patet dotem dans pro filia sua actionem communem sibi & filiæ suæ pro ea repetenda in casum soluti matrimonii retineat, *l. 2. §. 1. & l. seq. D. Soluto matrim.* Extraneus verò, hoc est, qui non habet in potestate mulierem, pro qua dotem dat, censetur in dubio dotem donare mulieri, *per text. in l. fin. C. de jure dot.* ubi idem in donatione propter nuptias statuitur.

3 Deinde hic animadvertendum est, quòd licet dos repeti non possit, constante matrimonio, quia subservit oneribus matrimonii per maritum sustinendis, *l. Filia 7. C. Soluto matrimon. juncta l. Pro oneribus 20. C. de jure dot.* tamen si maritus ad inopiam vergat, vel malè utatur substantiâ suâ, possit uxor dotem exigere unà cum donatione propter nuptias, ad sustentationem tam sui quàm mariti filiorumque, si quos habet, *l. Vbi 29. C. De jure dot. l. Si constante 25. D. Soluto matrim. & §. illud Novell. 97. de æquaiit. dot.* idque adeò, licet maritus absque culpa sua facultatibus suis lapsus sit; ut communis habet opinio Juris Civilis Interpretum, teste Panormit. *hic num. 12. argum. text. nost. qui simpliciter loquitur.*

4 Quibus præmissis, accedendo propius ad textum nostrum, ubi dos nondum tradita est, sed tantummodò promissa, etiam nudo pacto, certum est ad eam agi posse, *per h. text. nost. & in l. fin. C. Ad SC. Velleian. l. Si pater 5. cum l. seq. C. De dotis promiss.* nisi ad inopiam maritus tendat, quo casu marito petenti dotem exceptio meritò objicitur, donec cautio offeratur, *per hunc text.* Cujus hæc ratio est. Si enim maritus constante matrimonio ad inopiam vergat, dotem datam restituere tenetur, ut antè dictum est: multò magis repelli poterit maritus eam exigens. Cui enim datur actio, eidem & exceptio multo magis competit, *l. Invitus §. 1. D. De R. I. & l. 1. § planè D. De superfic.* tum dolo facit, qui petit, quod redditurus est, *l. In condemnatione § fin. D. d. tit. de R. I.*

5 Sed cur non idem obtinet in promissione dotis, quod in dote data? *ex d. l. Vbi C. De jure dot.* ut scilicet dos promissa mulieri potius assignetur, quàm ut marito sub cautione tradatur, vel committatur mercatori? Respondet Innoc. *hic num. 2.* id evenire, quòd mulier hoc text. nostro suspecta erat de minus idonea administratione. Cæterum si idonea sit mulier, putat Panormit. sequutus Bartolum, jure ipsi committi posse dotis administrationem: quod etsi minimè eruatur ex textu nostro, tamen æquum est admittere, *ex d. l. Vbi*, ob eamdem rationem, *l. Non possunt 12. cum l. seq. D. De legib.*

6 Illud observatione dignum est, quod monet idem Panorm. *d. num. 13.* quòd licet mulier pro dote conservanda fidejussorem aut alium intercessorem petere non possit à marito, vel ab alio, ad evitandam perfidiæ occasionem, quæ hac ratione oriri possit inter maritum & uxorem, cui cum uxor corpus suum commiserit, quare non & dotem? *l. 2. C. Ne fidejuss. dot. dentur, & text. hic in vers. Cùm ergò*: tamen id exaudiendum putat Panorm. nisi maritus ad inopiam vergat; hac enim specie dotis conservandæ causa posse peti fidejussorem probat hic textus noster, quæ insignis limitatio est *ad d. l. 2.*

7 Ex his igitur constat, dotem, sive ea data sit, sive promissa, marito ad inopiam vergente, consignandam esse uxori, ut ex ejus administratione se, maritum suum & liberos alat, dummodò uxor sufficiens sit administrationi; alioquin dotem permittendam esse marito sub cautione, aut mercatori consignandam, juxta ea, quæ antè dicta sunt. Cautionis autem nomine veniunt fidejussio, pignus & simplex promissio, *l. 3. C. De verb. sign. & l. Plus cautionis De R. I.* Hæc verò consignatio apud mercatorem sequestri loco est, *ut & in l. Si cum dotem 23. § si autem D. Soluto matrim.* ita tamen, ut ex hac traditione sive consignatione partem lucri honesti percipiat maritus ad onera matrimonii sustinenda.

8 Sed an salva dote? hoc est, ut nihilominus mulieri salva maneat dos integra? Quod existimat Hostien. & Joann Andr. hic, dum volunt mercatorem satisdare oportere de dote integraliter restituenda Idem vult Mart. Navarr. *in Manuali cap. 17 num 251. cum seqq.* Contrà Pan. *hic num.* 8. Cui sententiæ suffragatur hic textus noster, dum non meminit dotis integræ conservandæ & restituendæ; sed tantummodò lucri honesti, quod speratur provenire ex commerciopecuniæ dotalis Et certè res turpis per se esset, ut si fortè mercator lucrum non sentiret, sed tantummodò præter amissas operas & impensas adhuc teneretur ad integram dotis restitutionem, *l. Si non fuerit 29. §. Aristo D. Pro socio.* Unde licitum non est ita pacisci cum mercatore, ut deponens apud eum pecuniam, habeat in singula centum, vel aliam quantitatem, singulis annis decem. Sicut rectè tradit hic Panorm. corrigens quasdam viduas, quæ putant hoc sibi licere, *per hunc text. nostr.* sed malè, ut jam dictum est.

Neque nos movet auctoritas Hostien. Joann. Andr. & Navarri, quorum hic postremus putat, honestum lucrum dici posse, si quis, exempli gratia, pecuniam conferens sperabat verisimiliter ex centum duodecim lucri nomine; noluit verò tantum lucrum exspectare, contentus quatuor, ita ut sors illi maneret salva: nam idcò conventionem hanc valere vult, quòd redimatur periculum amittendæ sortis, per remissionem majoris lucri, videlicet octo ex duodecim. Verum hæc sententia defendi non potest, ex iis, quæ jam adducta sunt, neque nos sola auctoritas commovere debet, si jure & ratione destituti sunt.

Notandum præterea ex hoc textu, dotis causam, si de ea principaliter agatur, coram laico judice proponi & agitari posse, *per hoc text. in vers. quia super eadem.* Sed coram judice Ecclesiastico, ubi actor persona est miserabilis, ut hic coram judicibus delegatis *facit l. un. C. Quando Imp. inter pupill.* 9

Item notandum est, quòd vir possit domo ejicere uxorem suam, si promissa dos non solvatur, quia cum ex dote teneatur sustinere onera matrimonii, *l Pro onerib. C. De jure dot. c. Salubriter infr. De usur.* justè recusat maritus hæc onera, donec ipsi dos solvatur. Cæterum ubi nulla dos promissa est, non potest uxorem tamquam indotatam expellere, sed suis sumptibus alere tenetur, cum sibi imputare debeat, quod indotatam duxerit Panorm *hic* & Andr. Gail. *lib. 2. Obs 95. num. 16.* 10

In Cap. ultimum.

SUMMARIA.

1. *Donatio simplex inter conjuges prohibita.*
2. *Confirmatur morte donatoris.*
3. *Revocatur expressè vel tacitè.*
4. *In quo differt à legato & fideicommisso.*
5. *Donatio hæc excedens 500. solidos est insinuanda.*
6. *Solidus quid valeat.*
7. *Insinuationi huic renuntiari non potest.*
8. *Donatio inter conjuges jurata an valeat.*
9. *Donatio hæc ut morte confirmetur, traditio rei donatæ interveniat necesse est.*
10. *Matrimonio soluto, dos ad mulierem redit & ad virum donatio propter nuptias.*

HOc Cap. de duobus agitur, videlicet de donatione inter virum & uxorem, & de dote & donatione propter nuptias, eo casu, quo matrimonium est dissolutum. De priore nihil hactenus actum fuit. De posteriore verò hic plenius disseretur.

Quod ad donationem attinet, eam simplicem hic intelligimus, hoc est, quæ solius affectionis & liberalitatis causa fit inter conjuges, non quæ ob causam fit, sicut *sup eod ad Rubr.* attigimus. Hanc autem simplicem donationem interdictam esse inter maritum & uxorem, testatur non tantum *tit D. & C D don int. vir & ux* verum etiam *text hic in princ.* cujus varias rationes reddunt Ulp. & Paulus Jurisscon. scilicet, ne mutuo amore se invicem spolient; ne impediatur studium procreandæ prolis; ne concordia pretio conciliari videatur, neve melior in paupertatem incidat, & deterior fiat ditior. Verum hæ rationes non omnes necessariæ sunt, sed sola ultima: cæteræ verò sunt impulsivæ sive moventes, ut loquimur; idque ex textu nostro rectè colligunt Gloss. Butr. Præpos. &c. hic, dum disertè inquit textus: *donatio, ex qua aliter conjugum locupletior fit, alter pauperior, firmitatem non habet.* Ergò à contrario sensu firmitatem habet donatio, in qua utrumque

que hoc non intervenit, cùm expressè idem probet textus *in l. Si sponsus 5, §. concessa 7, D. eod.* ubi cùm Ulpianus respondisset, donationem valere à marito factam uxori, vel è dverso ab uxore nomine sepulturæ, hanc rationem statim subjicit: Hoc autem ex eo evenit, quòd definiri solet, eam demùm donationem impediri solere, quæ & donantem pauperiorem, & accipientem facit locupletiorem, Porrò hic non videtur fieri locupletior in ea re, quam religioni dicavit. Nec moveat quemquam, quòd emerit (scilicet locum pro sepultura sua) nisi maritus dedisset, nam etsi pauperior ea fieret, nisi maritus dedisset, non tamen ideirco fit locupletior, quod non expendit. Hactenus Ulpianus. Qui ut impediatur hæc donatio inter conjuges, requirit, quòd alter conjugum locupletior factus sit, alter verò pauperior. Nec enim alterum eorum sufficit ad impugnandam hanc donationem. Quod & ibidem latiùs illustrat Ulpian. in marito, qui hæres ab alio institutus repudiat hæreditatem in favorem uxoris sibi substitutæ, vel ab intestato venientis. Nec enim ex hac repudiatione hæreditatis pauperior fit maritus, cùm nondum hereditatem sibi per aditionem acquisiverit.

Quare hic retinendum est, tantummodò donationem inter conjuges prohiberi, in qua alter ditior, & alter simul pauperior fit: prohiberi, inquam, non quidem simpliciter & omninò, sed quousque
2 constat matrimonium: * nam per mortem donatoris talis donatio confirmatur, instar fideicommissi, *text. hic in verb. nisi donatoris obitu confirmetur, in l. Donationes quas parentes 25, C. hoc tit. & leg. Cum hic status 33, D. eod. juncta l. In donationibus 12, C. Ad leg. Falcid.* dum tamen superstite donatore ab eodem revocata non fuit expressè vel tacitè, aut donatarius ante mortem donatoris non moriatur. Nam his casibus donatio inter virum & uxorem morte donatoris non confirmatur, *per hunc tex. nostr. & in l. Marito 18. C. eod.*

3 Intellige verò expressè, si dicat donator se pœnitere donationis à se factæ, *d. l. Cum hic status §. ait Oratio.* Tacitè, si donator postea rem donatam alteri pignori obligavit, vel vendidit, vel aliter alienavit: nam hoc ipso censetur donator tacitè donationem revocasse, *l. Si maritus 12. C. eod. ubi eleganter notat.* Bart. ut si maritus locaria vel aliud quid donaverit uxori, & postea oppignoraverit, præsumi donatorem ea revocasse, ac proinde donationem non confirmari morte. Contra est in legato, ut si legatum testator pignori dederit vel alienaverit, non censeatur in dubio legatum revo-
4 casse, §. *sirem cum §. seq. I. ff. De legat.* * Unde licet donatio inter virum & uxorem assimiletur legato vel fideicommisso, quia instar horum morte confirmatur, ut antè dictum est, tamen in hoc distant, quòd facilius revocetur hæc donatio, quàm legatum sive fideicommissum, utpote quòd donatio hæc odiosa sit inter conjuges, lædens pietatem eorum inter se; legatum verò sive fideicommissum favorabile, *l. Intestamentis D. De reg. jur.*

Addunt præterea Doct. & rectè quidem, quòd 5
extra hos casus morte quidem confirmetur donatio inter conjuges, dummodò non excedat quingentos solidos, aliàs insinuanda est judici, ut in acta publica referatur; *text. est in d. l. Donationes quas parentes C. h. tit. juncta l. In donationibus 31, & l. penult. C. de donat.* Quòd si factum non fuerit, infirmabitur donatio, non quidem tota, sed quoad excessum, hoc est, quod est ultra quingentos solidos, sive eorum æstimationem; ubi scilicet donatio facta est in rebus immobilibus, vel aliis, quàm in solidis, *l. Sancimus 34, C. De donat.* Nec enim debet utile per inutile vitiari, *c. Vtile De R. I. lib. 6.* Quamvis diversum sentiat Salicet. existimans totam donationem corruere, etiam quoad quingentos solidos: sed eum rectè refutat Clarus *in § Donatio quæst. 17, num. 3, per text. in d. l. Donationes quas parentes in verb. nam amplioris quantitatis & in d. l. Sancimus §. 1.*

Per solidum accipimus aureum, ex communi & recepta Dd. sententia, ut testatur And. Gail. *lib. 2, Obs. 39, per text. in l. fin. C. De in jus vocan.* quorum septuaginta duo conficiunt unam libram auri, *l. Quotiescunque C. De superactor. præpos. & arcar. lib. 10.* Unde cum hodie possim diminutus sit aureus, ita quòd septuaginta duo non constituant libram auri, facilè accidere potest, ut usque ad 800. vel ad 1000. aut etiam ultra valeat donatio absque insinuatione, revocando scilicet hodiernos aureos ad valorem solidorum, id est, aureorum legalium, *de quibus in d. l. Quotiescumque, sicut rectè monet idem* Gail. *jam d. loco.* Idque non tantùm in hac donatione inter conjuges retinendum est, verùm etiam in alia qualibet donatione simplici, quæ ex generali dispositione juris ultra quingentos solidos non valet absque insinuatione, *l. Lata 27, C. De donat.* * Neque huic insinuationi renuntiari 7
potest à partibus, utpote ne hac ratione fraus fiat legi inducenti hanc insinuationem. Quod enim unâ viâ prohibetur, non debet per aliam admitti, *c. Cum quod una De R. I. in 6,* Et hanc renuntiationem non valere probat multis auctoritatibus Ant. Gabr. *de renunt. concl. 1, nu. 9.*

8 Sed anceps quæstio est, An donatio inter virum & uxorem, qualiscumque ea sit, sive excedat quingentos solidos, sive non excedat, juramento confirmetur? Et videtur prima fronte non confirmari propter rationes, quas in principio attulimus. Etenim si per hanc donationem conjuges se mutuo amore spoliant, si negligitur studium procreandæ prolis; si is, qui melior est, pauperior fit, & deterior ditior: profectò videtur hæc donatio jurata adversari bonis moribus. At verò juris regula est, Non est obligatorium contra bonos mores præstitum juramentum, *c. Non est De R. I. in 6, & Auth. Quod eis C. De nupt.* Adde, quòd per hanc viam facilè eludi posset prohibitio donationis inter conjuges. Nam qua facilitate induci potest donator, ut hanc donationem faciat, eadem potest ut adjiciat juramentum, contra juris regulam in *d. c. Cùm quòd una.*

Nihilominus contraria opinio magis obtinuit apud Dd. sicut ex Bart. tradit hic Panorm. & And. Gail *lib. 2. Obs. 4.* quam multis auctoritatibus à se adductis confirmat Ant. Gabriel. *de donat. concl. 3. in pr.* quòd scilicet jurata donatio valeat inter conjuges, ex ratione textus *in c. Cùm contingat 28, in fine sup. De jurejur. & in c. 2, De pact. lib. 6,* ubi generaliter traditur, toties juramentum servandum esse, quoties non vergit in dispendium salutis æternæ, neque præjudicium alteri tertio affert.

Nec movent rationes in contrarium allatæ, quia falsum est, eas adversari bonis moribus, de quibus loquitur dicta juris regula, *Non est obligatorium, &c.* quæ de iis moribus accipienda est, quorum contrarii in se continent turpitudinem, ut sunt homicidium, adulterium, furtum, & similia sicut rectè docet ad eamdem regulam Joan. Andr. Non verò intelligenda est de bonis moribus civilibus, qui ad servandam civilem societatem à legibus introducti sunt, ut est hæc prohibitio donationis inter conjuges, eò quòd expediat Reipubl. ne quis sua re malè utatur, *§. 2, Instit. De his qui sui vel alieni jur. sunt.* Idque perspicuum evadit ex eo, quod Ulpian. eam solam donationem interdictam esse inter conjuges dicit, in qua alter pauperior, alter ditior fit, *l. Si sponsus 5, §. concessa D. h. 1,* sicut

Atque hæc posterior sententia licet communiter recepta sit, priorem tamen amplectuntur Bart. & Salic. *ad l. 1, D. eod.* Henr. Bohic. *ad hoc c. nostr.* Socin. *cons. 15,* ubi & priorem sententiam communem esse ait, Covarru. *ad Rubr. De testam. p. 2, nu.* 31. Quin & communem asserit ex Curtio seniore Gabrielius *d. concl. 3, nu. 1, circa fin.* Et negari non potest, quin rationes in contrarium adductæ multum suffragentur priori sententiæ, quibus hactenus responsum non video; adeò quòd credam eam de jure veriorem esse, ita tamen, ut res ad æstimationem judicis revocetur, qui arbitrabitur, utrùm talis donatio sit, ob quam conjugum amor vel concordia lædatur, vel studium prolis intermittatur; quibus casibus putarem hujusmodi donationem inter conjuges juramento non confirmari, tamquam turpem & matrimonialibus moribus adversam, *facit text. optimus in c. Cùm quidam 12, in fine & ibi Gl. & Panorm. in fine sup. De jurejur. & can. Qui sacramento XXII. q. 4.* Alioqui donationi standum esset, propter juramentum, *d. c. Cùm contingat & in d. c. 2.* Adde Ant. Gail. *lib. 2. Obs. 36. nu. 26.* ubi explicat dictam juris regulam, *Cùm quod una, &c.* quam dicit cessare in juramento adjecto alicui actui de jure prohibito.

9 Cæterùm quod diximus, donationem inter conjuges morte donatoris, vel donatarii confirmari, extendunt passim Dd. nostri, si & traditio rei donatæ interveniat, sive ea vera sit, ut fit, quando rei possessio in alium realiter transfertur, *§ per traditionem Instit. De rer. divis. & l. Quâ ratione 9, §. hæ quoque res D. De acquir. rer. dom.* sive sit facta traditio, utpote quæ fit per constitutum, quando scilicet donator dicit se nomine donatarii rem possidere, *ut in l. Quod meo 18, D. De acquir. vel amitt. possess.* vel rei donatæ sibi usumfructum retinet, *l. Quisquis 28, C. de donat.* vel cùm donatarius rem donatam antè detinebat: nam fingitur his casibus traditio facta esse, *§ interdum Instit. jam dict. & de l. Quâ ratione § interdum,* Jul. Clar. *in § De Donatio qu. 9, n. 6,* ubi ex aliis tradit id communiter receptum esse à Dd. idem Did. Covar. *in Rubr. sup. De testam. p. 3, nu. 4,* & pro hac sententia allegat *text. in l. Papinianus 24. D. De donat. inter vir. & uxor.* Papinianus, inquit Ulpianus, rectè putabat orationem Divi Severi ad rerum donationem pertinere. Denique si stipulanti uxori suæ spopondisset, non putabat conveniri posse hæredem mariti, licet durante voluntate maritus decesserit. Ita Ulp. *& ibidem singulariter notat* Bald.

Huic tamen sententiæ acquiescere non possum, eò quòd hodie ex Justiniani constitutione in donatione necessariò non requiratur traditio, *text. ex in l. Si quis argentum 35, §. fin. C. De donat. & in §. perficiuntur Inst. eod.* & specialiter in donatione in-

ter conjuges est textus *in Nov.* 162. quem licet in antiquioribus codicibus non inveniam, extat tamen in recentioribus Scrimgeianis. Et quod attinet ad *d. l. Papinianus*, cui innititur contraria Doctorum sententia, ea pertinet ad jus vetus Digestorum, cui derogatum est per *d. Nov.* tamquam jus posterius, *c.* 1. *De constit in* 6. Et sic respondisse memini Collegium nostrum Juridicum.

20 Jam quoad alteram partem textus nostri, quâ dicitur, *Soluto matrimonio sicut dos ad mulierem, sic & donatio propter nuptias redit ad virum, nisi, &c.* Non dubium est, matrimonio morte vel alio legitimo modo dissoluto, restituendam esse dotem mulieri, & donationem propter nuptias viro, eò quod cessent onera matrimonii, propter quæ dos constituta fuit, *ut hic, & c.* 1, *sup. eod.* & ibi attigimus: cessante enim causa cessat quoque effectus, *c. Cum cessante* 60, *sup. De appell.* Quod tamen non indistinctè obtinet, sed moderatione adhibitâ, ut, si mulier ipsa sibi dotem ex bonis suis constituerit, hoc casu dos ad eamdem redire debeat, *juxta hunc text. nostr. & in d. c.* 1. *sup. eod.* habetque ad dotem repetendam actionem ex stipulatu, etiamsi reverà nulla vel inutilis stipulatio intervenerit, *l. unica in pr. &* §. 1. C. *De rei uxoria act.* Idem juris est, si ab extraneo dos data sit mulieri, *d. l. nu.* §. *accedit.* Extraneus is vocatur, qui mulierem non habet in potestate sua, quales sunt mater, frater, soror, aliique cognati, & quicumque alii extranei. Nam cùm hi censeantur mulieri donare dotem, soli mulieri competit actio ad repetendam dotem, præterquam si eam sibi extraneus reddi stipulatus, aut simpliciter pactus sit, *d.* §. *accedat.* Quòd si verò pater nomine filiæ constituerit dotem, idque simpliciter, nullâ intercedente stipulatione de dote sibi restituenda, actio communis est patri & filiæ, ita ut nec Pater absque consensu filiæ, aut filia absque patris consensu possit exigere, *l.* 2, D. *Soluto matrim.* præterquam si filia à patre emancipata fuerit; quo casu etiam vivo patre consolidatur actio de dote in persona filiæ. Ubi verò pater stipulatus est sibi dotem reddi, actio soli patri acquiritur, non autem filiæ, *l. Quoties* 30. D. *Soluto matrim. & l. Aviatua* C. *De jure dot.* Dico, stipulatus fuerit; nam non sufficit, patrem pactum fuisse etiam incontinenti, *d. l. Aviatua.* Quia per pactum nudum non fit novatio actionis de dote reddenda, cùm & filiæ fuerit communis, *d. l. Aviatua.* Novatio enim stipulationem requirit, §. *praterea Instit. Quib. mod. toll. oblig. & l. fin.* C. *De novat.* Secus est in extraneo, qui & paciscì potest in continenti de dote sibi restituenda, *d. l. Aviatua.* Sin filia ante patrem moriatur, dotis actio in persona patris consolidetur, *l. Dos à patre* 4, *C. Sol. matrim.* adeò licet liberi ex eodem matrimonio existant, *l. unica* §. *liceat vers sileat* C. *De rei uxor. act.* Quod etsi neget Martinus antiquus Interpres, ut potius ad liberos, quàm ad patrem dos pertineat; rectiùs tamen contra mihi videtur sentire Joan. Bulgarus, Azo & Accurs. *in Glos. ad d. l. Dos à patre*, ut etiam in casu liberorum existentium patri dos restituì debeat, *per text. in d. vers. sileat.* Et horum opinionem tamquam communem sequitur Bart. *ad l. Post dotem nu.* 29. D. *Soluto matrim.* & communiter Canonistæ, teste Panormit. *hic nu.* 10. licet Martini opinio consuetudine recepta sit, *ut testatur Gols. ad d. l. vers sileat &* Bart. *jam cit. loco.* quam retinendam censeo, ubi ea recepta est.

Ubi igitur dos non est profecta à patre, sed mulier ipsa sibi vel alius ejus nomine dotem constituit, dos soluto matrimonio ad mulierem redit; quemadmodum & donatio propter nuptias ad ipsum virum, nisi aliter dictaret loci consuetudo, aut pactum esset inter virum & uxorem, ut alterius lucro cederet dos vel donatio propter nuptias, *per hunc text.* De consuetudine non est dubium, cùm hæc juri communi derogare possit, *cap. fin. sup. De consuet.* De pacto extat quoque text. *in d. l. un.* §. *ille proculdubio &* §. *fin.* C. *De rei ux act. l. Ex morte* 9, *& Auth. Aequalitas* C. *De pact. convent.* ita tamen, ut hoc pactum de lucranda dote tota, vel pro parte à viro interpositum non aliter valeat, quàm si & simul pactum de lucranda donatione propter nuptias à muliere interpositum fuerit, & quidem æqualiter: nam unum absque altero consistere non potest. Sicut enim dos & donatio æqualiter constitui debent, ita & lucra æqualia esse debent; adeò ut, si majus lucrum sit in uno quàm in altero, majus ad minus redigatur, *d. Auth. Aequalitas & Nov.* 91. *De aequal. dot. & l. fin.* C. *De donat. ante nupt.* Idque introductum est, ut fraudibus occurratur, ne si contrà fiat, inducatur donatio inter virum & uxorem, quæ de jure prohibita est, ut suprà deduximus.

IN TIT.

IN TIT. XXI. DE SECVNDIS NVPTIIS.

SVMMARIA.

1. *Nuptiæ secundæ & ulteriores sunt licitæ.*
2. *Non obstante* can. Hæc ratione XXXI. *q.* 1.

1 SEcundæ nuptiæ dicuntur, quæ præcedentes subsequuntur, etiamsi illæ centesimæ sint, quas & jure permissas esse testatur D. Hieronymus qui inquit, in Ecclesia non damnari bigamiam, nec trigamiam, sed & licere quinto & sexto, & ultrà nubere, *text. in can. Aperiant* XXXI. *q.* 1. qui & exemplum adfert, in Epistola ad Gerontiam de duobus conjugibus Romæ tempore Damasi Pontificis, quorum alter viginti uxores, altera maritos viginti & unum sepeliterat.

Nec obstat Textus *in can. Hæc ratione ead. q.* 1. ubi secundæ nuptiæ appellantur fornificatio: quia text. hic meritò rejicitur à Catholicis, quòd desumptus sit à Gratiano ex opere imperfecto, quod falsò Divo Chrysostomo inscribitur; sed cujusdam hæretici est, vel corruptum ab hæreticis, sicut testatur Bellarm. *de matrim. Sacram. lib.* 1, *cap.* 9. Ac proinde hic textus nihil nos movere debet, etiamsi in Decretum conjectus sit à Gratiano, sed temerè.

In Cap. 1. & c. Vir autem 3.

SVMMARIA.

1. *Nuptiæ secundæ cur non benedicantur.*
2. *Benedicens secundas nuptias qualiter puniendus.*

1 HIs duobus Capp. prohibentur per Sacerdotem benedici illi, qui secundas nuptias iterant, idque propter priorem benedictionem, quæ primis nuptiis adhibita fuit; usque adeò licet unus tantummodò antea benedictus fuerit, alter minimè, ut quia virgo, aut alitèr solutus vixit, *text. hic in c.* 3. *& ibi tradunt* Panorm. Butr. & Præpos. Quâ benedictione collatâ alteri, communicatur ea alteri, sicut in simili de oleo nondum consecrato dicitur, quod alteri consecrato commisceatur, *c.* 3 *sup. De consecrat. Eccles.* & D. Paulus inquit: Sanctificatur vir infidelis per mulierem fidelem, & è contrà, 1. *ad Corinth.* 7. Quamvis in quibusdam locis contrarium observetur, ubi viduus virginem ducit: quam consuetudinem valere existimat hic Glossa, si Papa eam scit & dissimulat.

2 Quod autem textus noster *in c.* 1. ait Capellanum illum, qui hanc benedictionem impendit secundis nuptiis, suspensum ab officio & beneficio remittendum esse ad Sedem Apostolicam, mirum videtur tam graviter coërceri hoc delictum. Sed respondet Butr. textum fortè de eo loqui, qui benedixit secundis nuptiis contractis, vivente adhuc priore conjuge. Panormit. verò existimat, hoc textu non quidem ordinariam pœnam suspensionis beneficii & officii constitui in benedicentem secundas nuptias, sed fuisse quamdam provisionem Apostolicam, id est, arbitrariam. Fortè enim qualitas Capellani istius & circumstantiæ delicti hujusmodi suspensionem & transmissionem ad Sedem Apostolicam merebantur. Putatitaque Panor. hanc suspensionem & translationem non necessariò requiri, sed pœnam esse arbitrariam, id est, arbitrio superioris commissam esse pro loci consuetudine & delicti qualitate.

Verùm Præpositus hanc Panormitani sententiam non probat propter *text. in cap. In causis* 19, *De sent. & re jud.* quo jubentur judices in judicando sequi formam & exemplum summi Pontificis. Non igitur arbitraria hæc pœna dici potest, cùm certa hoc textu constituta sit, ac proinde Judex à tra recedere non potest, *cap.* 1, *&* 5, *sup. De constit.* Nihilominùs si causa subsit, potest judex pœnam à jure præscriptam vel augere vel diminuere, vel etiam omninò remittere, *l.* 3, *&* 4. *C. Ex quibus caus. inf. irrog. l. Quid ergo* 13, *§. pœna gravior D. De his qui not. infam. l. Non omnis* 5, *D. De re milit. & cap. fin. sup. De transact.* inspectis scilicet circumstantiis causæ, personæ, loci, temporis, qualitatis, &c. *l. Aut facta* 16, *& l. Respiciendum* 11. D. *De pœn.* ita quòd hodie omnes ferè pœnæ arbitrariæ sint, exceptis, quæ à ipso jure infliguntur, quæ cùm executionem secum trahant, nihil potest in iis statuere judex, ut fit in criminibus, quæ recensentur *in cap. Cum secundùm* 19. *De hæret. in* 6. item in excommunicatione, suspensione, interdicto, quatenus

nus à jure inferuntur. Hoc verò textu nostro *in d. c.* licet suspensio ab officio & beneficio in Capellanum statuatur; non tamen ex ipso jure infligitur, sed summus Pont. jubet eam infligi per Episcopum, sicut rectè interpretatur hunc text. Hostiens. quem refert & sequitur Panormit. videlicet propter circumstantias ipsius delicti & delinquentis, ob quas pœna quandoque gravior statuitur, ut antè probatum est. Et sic verior mihi videtur interpretatio Panormit. sup. adducta, quòd pœna in secundò benedicentem arbitraria sit, id est inspectis & examinatis circumstantiis à judice sit concipienda & adhibenda.

In Cap. Dominus 2.

SVMMARIA.

1. *Ad secundas nuptias transvolare non licet, nisi constiterit de morte alterius conjugis.*
2. *Et quid si dubia mors sit?*

PRohibet hoc textu S. Pont. ne quis ad secundas nuptias migret, antequam certò sibi constet, mortuum vel mortuam esse conjugem suam. Idem tradit *sext. inc. In præsentia* 19. *sup. De sponsal.* ubi hanc rationem reddidimus, quòd matrimonium semel legitimè contractum inter Christianos non nisi morte dissolvatur, *c. pen. & ult. inf. eod.* Excepto casu professionis vitæ monasticæ, quâ matrimonium ante consummationem etiam invito altero conjuge rectè dissolvitur, *c. 2, & c. 7, sup. De converf. conjug.* Non igitur ignorantia sive absentia alterius conjugum dissolvit matrimonium, ita quòd ad alterum matrimonium convolare liceat.

Sed quid si vir sive mulier dubia, id est, non accepto certo nuntio de morte alterius conjugis, nihilominus ad secundum matrimonium transeat? Subjungit hic textus noster, eum, qui sic matrimonium temerè contraxerit, postulanti secundo marito, vel mulieri teneri reddere debitum conjugale, non verò exigere. Siquidem secundus maritus vel mulier, qui quæve bonâ fide contraxit, debito suo privandus non est, cùm factum cuique suum, non alteri nocere debeat, *l. Factum cuique De R. I.* neque dubitanti permittitur, ut contra dubium conscientiæ exigat debitum, *c. Literas* 15, *vers. porro sup. De restit. spoliat. & c. fin. De præscr. vide quæ latiùs dixi ad d. c. In præsentia.*

In Cap. penult. & ultimum.

SVMMARIA.

1. *Secunda nuptia jure Canonico permissa mulieri citra notam infamiæ.*
2. *Pœnas alias in mulierem intra annum luctus nubentem jure civili constitutas hodie abrogatas esse.*
3. *An & alia in favorem liberorum prioris matrimonii introducta?*
4. *Et quid de vidua, quæ intra annum luctus ex alio peperit, vel stuprum passa est?*
5. *Quid si liberi prioris matrimonii nuptiis secundis matris consenserint?*
6. *Conditio, Si non nupserit, an rectè adjiciatur legato à marito relicto uxori, vel contrà?*

EAdem utriusque Cap. sententia est. Permittunt enim mulieri post mortem mariti sui alteri viro nubere, absque ulla infamiæ nota, quæ alias ex præscripto juris irrogabatur mulieri intra annum luctus nubenti *l. 1. & l. 2. C. de sec. nupt.*

Ideò verò jus civile hanc infamiam introducebat contra mulierem, ut saltem hujus metu certo tempore abstineret à secundis nuptiis ad evitandam turbationem sanguinis per secundum matrimonium. Fortè enim antè conceperat ex priore marito, *l. Liberorum* 11. § 1. *D. De his qui not. infam.* Quod cùm non æquè sit in marito, nulla infamia in eum statuta est, quocumque etiam tempore aliam uxorem duxerit, atque idcirco neque lugere uxorem tenetur, *l. Uxores* 9. *D. jam dicto tit.* Hodie autem & in muliere hæc infamia juris civilis cessat, per hunc text. nostrum, qui hac in re auctoritate D. Pauli utitur, 1. *ad Corinth.* 7. dum inquit: *Mulier alligata est legi, quanto tempore vir ejus vixerit: quòd si dormierit, liberata est, cui vult nubat tantum in Domino.* Idem ferè tepetit D. Paulus *ad Rom.* 7. *c. in princ.* Igitur cùm mulier statim marito mortuo liberam potestatem habeat alteri nubendi, ex jam dictis verbis D. Pauli, merito hæc infamia juris in muliere intra annum luctus nubente sublata censetur, etiam quoad forum civile *per hunc text. nostr.* Et hoc quoad infamiam expediti juris est.

Cæterum cùm adhuc aliæ pœnæ à jure civili constitutæ sint in mulierem secundò nubentem intra annum luctus, veluti quòd secundo viro non possit dare in dotem ultra tertiam partem bonorum suorum, vel etiam in testamento relinquere: item quòd ex testamento mariti vel alterius nihil capere possit jure institutionis, legati, sive fideicommissi, sit item quòd amittat omnia lucra nuptialia, quæ habuit à priori maritò, *de quib. in l 1, & l. 2. D. De secun. nupt.* Quæsitum est apud Dd. an similiter quoque hæ pœnæ abrogatæ sint per hos textus *in cap. penult. & ult.* Eadem quæstio est de aliis pœnis à jure civili statutis in mulierem post annum luctus nubentem, quòd scilicet teneatur ipsa liberis prioris matrimonii reservare omnia lucra, quæ ex facultatibus defunctæ conjugis quocumq; titulo inter vivos, vel ex ultima voluntate consecuta est, solo retento sibi usufructu. Idem est in bonis illis, quæ habet ex successione liberorum prioris matrimonii. Quæ similiter pœnæ constitutæ sunt & in virum ad secundas nuptias transeuntem, *de quib l. Fœmina 3. cant. 4. Auth seqq. l. cum alia 4. & l. Generaliter 5, cum 2. Auth seqq. C de secun. nupt.*

Quod igitur attinet ad priores pœnas mulieris intra annum luctus nubentis, existimat Innoc. & Panormit. *hic*, eas nullâ ratione subsistere Idq; ait Panormit. communiter receptum esse, quemadmodum etiam tradit ex Felino, Decio, & aliis Dd. Did. Cov. *de matrim. p. 2, c. 3, §. 9, nu. 7,* & satis comprobant textus nostri. Quâ enim ratione infamiæ notam tollunt in muliere intra annum luctus nubente, eâdem ratione sustulisse censentur & alias pœnas. Ex quo enim mulier rectè contrahit secundum matrimonium, æquum non est, ut inde pœnâ vel jacturam aliquam patratur, *vulg. l Gracchus C. Ad L. Iul. de adult.* Deinde cùm prohibitio matrimonii intra annum luctus auctoritate Divi Pauli abrogata sit, cõsequens est, & pœnas quæ ipsi prohibitioni annexæ sunt, pariter abolitas esse; cum sublato principali etiam accessorium sublatum intelligatur, *cap. Accessorium D. R. I. in 6. & l Cum principalis D. eod. tit.*

Sunt tamen quidam, ut Paulus de Leazaris, Raynerius Foroliviensis & Bald. citati à Panorm. & Felino *d. c. Ecclesia S. Maria sup. De constit.* quorum etiam hic meminit Panormit. qui hoc quidem verum esse existimant, dummodò ex contractu secundarum nuptiarum nulla sequatur turbatio sanguinis, sive incertitudo prolis. Nam si mulier pariat intra undecim menses post mortem prioris mariti, probabiliter dubitari posset, ex quo marito concepe-

rit, cùm usque ad undecimum mensem partus in utero possit consistere, *§. unum Nov. 39. de restit. & ea quæ parit undec. mense, l. Intestato §. fin. D. De suis & legit.* Unde cùm hoc casu sufficiat ratio probabilis prohibendi vel differendi matrimonium, non putant ipsi eam mentem fuisse Divi Pauli vel sacrorum Canonum, ut mulier possit quacumque anni parte post mortem mariti nubere, cùm & in aliis casibus quandoque accidat, ut usus matrimonii intermittatur, videlicet tempore menstrui vel jejuniorum, *can. fin. dist. 5, can. Fratres XXXIII. quæst. 4, adde & c. Ex publico 7. sup. De convers. conjug.* Verùm horum opinionem rejicit Panorm. hic, propter generalem concessionem D. Pauli & sanctorum Canonum. Nam hic *in c. fin.* ponderanda sunt verba textus, *Liberam habeat facultatem*, quæ ad quamlibet anni partem pertinet.

Unde non obstat Pauli de Leazaris, Raynerii & Baldi contraria opinio, ratione turbationis sive incertitudinis prolis: quia è contra majus periculum, videlicet fornicationis, imminere posset viduæ, si fortè intra annum luctus non nuberet, ita quòd melius sit eam nubere, ex generali illa concessione D. Pauli & SS. Canonum, quàm ut cum periculo salutis abstineat à secundis nuptiis. Itaque certius est, omnes pœnas constitutas in mulierem secundò nubentem hodie abrogatas esse, neque eas locum habere etiam in foro Civili.

Sed major dubitatio est de aliis pœnis, quæ mulieri post annum luctus nubenti à jure Civili infliguntur, an scilicet & hæ ex decisione textus nostri sublatæ intelligantur? Quod minimè putant Did. Cov. *loco sup. cit.* & And. Gail. *lib. 2, obser. 98, nu. 8,* aliique Dd. ab iisdem recensiti. Moventur hac ratione, quòd hujusmodi pœnæ non in odium matrimonii, uti fit, quando prohibetur vidua nubere intra annum luctus, sed in favorem liberorum prioris matrimonii introductæ sunt, *l. Generaliter 5. §. penult C. De secund. nupt.* Non igitur sublatæ sunt per jus Canonicum. 3

Verùm Panormit. *hic ad c. fin.* hanc sententiam impugnat, existimans indistinctè omnes pœnas abrogatas esse propter libertatem matrimonii contrahendi, quam assecuta est mulier ex morte mariti sui. Quam sententiam etiam confirmat Decius *ad c. Ecclesia S. Maria n. 123 sup. De constit.* Nec juvat favor liberorum prioris matrimonii, quia, ut respondit Felin. *ad d. c. Eccles. S. Maria n. 56.* ille favor est irrationalis, cum tendat in præjudicium matris, & restringat libertatem matrimonii incundi. Neq; enim propter favorem unius injuria sive incommodum

dum alteri inferri debet, *c Ex tenore 5 sup. De foro compet.* Unde negari non potest, hanc Panormitani, Decii, tum etiam ipsius Felini sententiam æquiorem esse.

Sed quia Panormit. hic *ad c. fin* existimat, grave esse à communi sententia in judicando vel consulendo recedere, subsisto quidem: nihilo tamen minus priorem sententiam veriorem existimans, hac ratione. Nam cùm ea lucra mulier à priore marito percepta approbatione juris Civilis consecuta sit, potuit & idem jus Civile hanc legem adjicere, ut in casu secundarum nuptiarum mulier privaretur eorum proprietate, reservato tantummodò sibi usufructu. Quod adeò obtinet, etiamsi liberi prioris matrimonii non essent hæredes parentum suorum, quia hæc lucra debentur liberis non ut heredibus, sed tamquam æs alienum, *d l. Generaliter § pen. juncta Auth. Hæres C. De secun. nup* Quo fit, ut etiam liberi, licet jurati renuntiaverint successioni parentum, *juxta c. Quamvis & ibi tradunt Dd. De pact. lib. 6.* nihilominus in hujusmodi lucra admittantur, eò quòd liberis ex alia & nova causa deferantur, renuntiationem non concernente, siquidem ea spectat hæreditariam successionem parentum, non verò quæ aliunde ex legis dispositione ad liberos pervenisse Oldrad. *cons. 294.* Guido Pap. *decis. 228,* Neque enim cogitarunt liberi de his lucris, quæ postea ipsis evenerunt, & de quibus tempore renuntiationis non est cogitatum: unde eâdem renuntiatione non continentur, *l. Cum aqualiter 5. D De trãsact. & l. Mater 19 §. caterum D. De inoff. testam.*

4 Porrò de eo hic dubitare non convenit; pœnas à jure civili statutas in viduam, quæ intra annum luctus ex alio peperit, vel stuprum passa est, non abrogatas esse per jus Canonum, *Auth. Eisdem pœnis & ibi Glos. C De secun. nupt. & § fin. Nov. 39, de restit. & ea quæ parit &c* Bart. *add. Hu solis C. De revoc. donat.* nec etiam abrogatas esse eas, quæ constitutæ sunt in fæminam filiorum suorum tutricem, si non petito tutore filiis, nec administrationis rationibus redditis, ad alias nuptias transeat, *d Auth. Eisdem pœnis & § si autem tutelam & ibi Glos. in V. jurans Nov. 22, de nupt,* & communiter receptum testatur Covar. *de matrim c. 3 §. 6. num 8.* Imò hæc eadem fæmina privatur successione filii, cui tutorem non petit ante secundas nuptias, si filius intestatus moriatur, *d §. sin autem tutela, & l. Omnem 6, C. Ad SC. Tertull:* Covarr. *d loco*

5 Cæterùm quod diximus, mulierem ad secundas nuptias transeuntem amittere proprietatem eorum, quæ lucrativo titulo à marito ad eam pervenerunt, retento tantummodò sibi usufructu, limitant Dd. nisi liberi prioris matrimonii his nuptiis consenserint. Nicol. Boër. *decis 185, n 10, &* Ant. Gabr. *lib. 3, commun. conclus. concl. 1, num. 5, cum seqq.* qui plures ejusdem opinionis recenset, & And. Gail. *lib. 2. Obser. 98. n 9.* Cujus ratio hæc redditur, quia injuria, quæ per secundas nuptias irrogatur liberis, *§ si autem tutela Nov. 22, de nupt.* ubi dicitur mulier, quæ secundas nuptias repetit, tria negligere, scilicet Deum, memoriam defuncti, & charitatem filiorum; intellige de Deo, quando secundas nuptias abjuraverat: hæc, inquam, injuria propter consensum liberorũ cessat, quippe volenti nulla injuria fit, *l 1, § usque adeo D. De injur. & cap Scienti De R. l. in 6* Qui etiam consensus tacite intercessisse præsumitur, ubi liberi non conqueruntur de facto matris, quod ad alteras nuptias transierit, quasi dissimulatione injuria sublata sit, *§. fin. Inst. De injuriis.*

Et quamvis à Dd. hæc passim dicantur, improbat tamen Franc. Sarmient. *Selectar. Interpret. lib. 1, cap. 4. n. 1.* qui inquit, se non videre, quâ ratione filii, qui secundis nuptiis matris consenserunt, à lucro, quod eis à lege defertur, ita temerè repelli debeant. Quid enim filii commiserunt, consentiendo nuptiis matris, nisi quod jure divino & humano facere debuerunt? Matrimonio enim, quod Apostolus approbat, Ius Canonicum amplectitur, jus civile non impedit, consenserunt: quòd si tamquam impii voluissent impedire, id efficere non potuissent. Ideo (subjungit is) intrat regulã per nos tradita, quòd qui non contradicit actui, qui eo invito geri potest, nullum sibi parat præjudicium, *l. Caius & quæ ibi notantur & in l. Quæ dotis D. Solutr matr.* Addit præterea, nequidem obesse filiis, si maritum quæsierint ac matrimonium procuraverint matri fortè de incontinentia suspectæ, ne aliàs cum familiæ suæ dedecore ipsa se aliis prostitueret, cùm id pium factum sit liberorum, *c. Inter opera sup. De sponsal.* Quòd si consensus etiam tacitus filiis noceret, numquam legibus de secundis nuptiis locus esset, nisi ubi expresè filii impiè contradixerunt, & matris nuptias (cujus semper honesta & sancta persona filio videri debet) improbarunt.

Quare rectiùs existimo, ex hac sententia Sarmienti, filiis nihil officere expressum, vel etiam tacitum consensum suum circa secundas matris nuptias interpositum, quemadmodum nec circa nuptias patris. In cujus persona similiter jus civile constituit, ut, si is lucrativo titulo quid habeat ex bonis matris, ejus proprietatem propter secundas nupti-

as amittat & filiis, applicetur, *l. Generaliter 5. cum 2, Auth. seq. C. De secun. nupt.* Unde & putant Dd. contrarium sentientes, proprietatem quoq; non amitti, si filiorum consensu pater secundas nuptias inierit, ob eamdem rationem, quam suprà attulimus de consensu filiorum in secundis nuptiis matris. Imò eam extendunt ad nuptias ex voluntate conjugis defuncti contractas, ut & eo casu non amittatur proprietas, uti videre est apud Ant. Gabr. *d. concl. 1. nu. 29, &* And. Gail. *d. obser. 98, n. 18,* Sed & hoc refellit Sarmient. *d. c. 4. n. 3.*

Neque enim obstat ratio allegata in contrarium, quod non fiat injuria volenti & consentienti: quia responder ipse Sarmient. *d. loco.* quòd falsum sit, pœnas prædictas introductas esse tantummodò in favorem filiorum, sed quia æquitati & rationi consonum est, ut bona laboribus prioris mariti quæsita non cedant in utilitatem vitrici, vel è contrà à matre quæsita cedant in utilitatem novercæ, vel liberorum ipsorum, sed reserventur filiis prioris matrimonii, ad quos naturaliter solent devolvi parentum bona, *l. fin. D. De bonis damnat. & l. Nam etsi parentib. 15, D. De in offic. testam.* Unde non vult has pœnas proprias dici, sed improprias sive mixtas, cum rei persecutione, adeò ut mortuo filio ejus filii hoc jus persequi possint, *l. In quibus 7, C. De secund. nupt.* Quod non fieret, si essent merè pœnæ cùm non transeant ad heredes, *§. non autem Inst. De perpet. & temporalib. act.*

Et hæc de bonis, quæ lucrativo titulo ab uno conjugum ad alterum pervenerunt: secus in oneroso titulo, puta ex venditione, locatione, permutatione, aut simili contractu, in quibus mulier secundas nuptias contrahens non perdit proprietatem, ut rectè censet Bald. *ad l. Fœminæ in antiqua lect. nu. 2. C. de secun. nupt.* Idem quoque est in viro ad secundas nuptias divertente, cùm textus contrarii, & superiùs allegati loquantur tantummodò de rebus, quæ lucrativo titulo alteri conjugum ab altero obvenerunt, unde pertrahendi non sunt ad cõtractus onerosos, *c. Odia & c. In pœnis De R. I. lib. 6.* Et nota hic obiter, omnes contractus inter virum & uxorẽ permissos esse non minùs, quàm inter alios, excepto contractu donationis, & qui sapit naturam donationis, sicut pluribus juribus allatis docet Alex. *consil. 86, lib. 5.*

6 Postremò hic quæritur, an per textus nostros sublatum sit, quod jure civili constitutum est, *in Auth. Cui relictum C. De indicta viduit. tollen. sive unde hac Auth. desumpta est in §. quæ verò nunc sequitur Novell. 22. de nupt.* quo legatum relictum à marito uxori, vel è contra ab uxore marito, si secundas nuptias nõ contraxerit, exspirat, si secundæ nuptiæ secutæ fuerint. Difficultatem movet, quòd hæc cõditio in odiũ matrimonii secundi adjecta videatur, ac proinde rejici debeat, instar illarũ pœnarum, quæ mulieribus secundò nubentibus à jure Civili infliguntur, quas abrogatas diximus per *hoc c. pen. & ab.* Accedat, quòd hæc conditio in virgine rejiciatur etiã de jure Civili, & legatum purum maneat, detractà conditione, *per text. in l. Quoties 22, & l. Sed si hoc 61, §. fin. & in l. Cùm tale legatũ 71, §. Mævia D. De cond. & demonst.* Ideò quòd hæc conditio pugnet cũ Reipublicæ utilitate, cujus interest, repleri civitatem liberis hominibus, *l. Hoc modo 63, D. jam d. tit. junctâ l. 1, in fine D. Soluto matr.* cur non ergò similiter rejiciatur hæc conditio in vidua? Diversitatis verò ratio est in vidua, quòd ei honestius sit abstinere à secundis nuptiis, *can. ult. in fine XXXI. qu. 1. & §. optimũ Novel. 2. de non eligendo secun. nuben.* Nam & ex secundis nuptiis dicitur anima prioris mariti contristari, *d. §. quæ verònũc sequitur in fine.* Hinc & D. Paulus *1. ad Corinth. 7 circa fin.* beatiores esse viduas, si in viduitate permanserint, quàm si ad alteras nuptias trãsierint.

Nec movet ratio, quòd conditio in odium secũdi matrimonii adjecta videatur; quia per eam maritus defunctus non tam uxorem suam à secundis nuptiis avocat, quàm ut consulat memoriæ suæ, quam aliàs secundo nubendo mulier dicitur negligere, *in §. si autem tutelam Nov. 22. de nupt.* Neq; impedit altera ratio, quòd eadem conditio pugnare videatur cum Reipublicæ utilitate, etiam in vidua: nam illud rectè dicitur in virgine, nõ in vidua, cujus nuptiæ repetitæ odibiles sunt, & multis pœnis plectuntur, ut constat ex iis, quæ antè dicta sunt. Atq; hanc conditionem, *Si non nupserit*, adjectam legato uxori relicto sublatam non esse per jus Canonicum tradit Cov. *de matr. c. 3. §. 9. nu. 14. ubi & sub n. 10. in fine* idem testatur *de l. Hac edictali C. De secund. nupt.* Nam in ea statuitur, ne possit mulier vel vir ad secunda vota convolans conjugi plus dare in dotem, vel in donationem propter nuptias, vel etiam simpliciter (quamvis enim donatio simplex inter conjuges prohibita sit, morte tamen donatoris confirmatur, *c. fin. & ibi dixi sup. De donat. inter vir. & vxor.*) item neq; testamento vel codicillis sibi invicẽ plus relinquere, quàm habeat ex suis bonis unus liberorum prioris matrimonii. Hanc, inquam, pœnam abrogatam non esse per jus Canonicum, testatur Cov. idq; passim apud omnes receptum esse: & meritò, cùm in favorem liberorum hæc pœna introducta sit, ne scilicet hi peioris sint conditionis, quàm vitricus, aut noverca.

FINIS